

J. E.

ORTUS,

FROGRESSUS, VICISSITUDINES, EXCISIO, ET RESTAURATIO, OLIM CUSTODIÆ, NUNC AB ANNO M. DCC. XXIX.

PROVINCIAE TRANSYLVANIAE

ORD. MIN. S. P. N. FRANCISCI.
STRICT. OBSERV. TITULI S. REGIS STEPHANI

EX

Gravissimis, Fideque dignis Authoritatibus clara, ac succincta Methodo compilatus, primum in Urbe Orbis Capite revisus, castigatus, approbatus, & excusus Typis Reverenda Camera Apostolica.

12.

EX VRBE SEPTICOLLE REDVX OMINE FAVSTO

HAC

SECUNDA EDITIONE

SUB GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS
EXCELLENTISSIMI DOMINI COMITIS DOMINI

JOANNIS HALLER

L. B. DE HALLER-KÖ, SAC. CÆS.
REGIÆQUE CATHOLICÆ MAJEST. CAMERARII,

Status eiusdem Actualis, ac Intimi CONSILIARII, Principatus Transylvaniæ, Partiumque eidem annexarum Regionum Principalis GUBERNATORIS &c. DOMINI, & PATRONI nostri GRATIOSISSIMI, COLENDISSIMI.

Cum Facultate Superiorum Luci familiaris Soli expositus.

Typis Ven. Conventus Csikiensis, ad B. Virginem Visitantem.



Inu. 156

7

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

47

50

T1-448



AUTHORITATES

Quibus per decursum hujus opellæ usi sumus, sunt hæc :

Actis Archi-Synodi Tyrnaviensis Anni 1629.

Manu-scriptis Patris *Gregorii Malom-falvi*, olim Ministri Provincia-
lis Provinciæ Hungariæ *S. Mariæ* de Anno 1655.

Gregoriô Perô Scriptore Hungariæ Classico.

Istvánffiô Scriptore Hungariæ Nominatissimo, & Classico.

Manu-scriptis Patris *Joannis Kajoni*, olim Provinciæ hujus Custodis,
propè coævi restorationis Custodiæ.

Chronicô Operis quadripartiti Illustrissimi Domini *Francisci Gon-
zaga* Episcopi Mantuani, & olim octennis Totius Ordinis Mi-
norum Ministri Generalis.





EPIS TOLA DEDICATORIA.

EXCELLENTISSIME
DOMINE COMES.

Quemadmodum primam, & potiorem hujus operis partem, in qua cætera inter Summorum Pontificum quinque sæculorum, & gratiarum ab iisdem in Ordinem nostrum Seraphicum collatarum fit mentio, *EXCELLENTIÆ TUÆ*, tanquam Supremo Provinciæ Transylvanicæ *SYNDICO APOSTOLICO*, Summi Pontificis Delegato, jure me adscripsisse fateor; ita & hanc Libri secundam particulam; cui potiùs devovere, & dicare debuerim, præter *TE EXCELLENTISSIME DOMINE COMES HALLERIDUM* Daciæ gloriam, decus, & ornamentum, alium non reperi, nec aptius refugium invenisse me arbitror. Et non abs re, dum *TIBI* ex cunctis retrò *HALLERII* decori, non solùm Sangvinis, sed & Virtutum omnium hæredi præsens opusculum dedico. Si enim Inclytæ Familiæ *TUÆ*, à qua proficiam descendis, & ad quam avita comite Virtute indies ascendis, in Divos pietatem considero, tantâ erga Seraphicum Franciscum, ejusque Religiosam Sobolem invenio pietate, & benigna propensione captam; ut nullus hac in parte Inclytam Familiam *TUAM* anteverterit vel lato ungue. Possem hîc, si in sæcularia retrospicere fas esset tempora, ex plurimis paucorum meminisse, me nisi meritò in nata *TIBI* humanitas, inquilinæ Virtutis index, sobria laudum averfio, nec non ex parte mea adulandi periculum, & facilè etiam

suborituræ in aliis invidiæ malum prohiberet, altum, &
ticum indicens silentium. Non inique aberraverim, si
tûs adhuc ex ipsis cunis finistrioris fortunæ injuriis expositi tutelam
TE imploravero, eoque magis, cum jam non infirmum, sed san-
vum; non infantem, sed adultum; non rudem, sed excultum;
probitatisque suæ delectissimis testimoniis abundè munitum **TIBI**,
cui nunquam displicuisse comperi, summa cum fiducia **trulero**,
& consecravero. Suscipe igitur **COMES EXCELLENTISSIME**, & eâ
quâ erga afflictos innata traheris benignitate, susceptum constan-
ti fortitudine fove, & refove libellum. Utque **TIBI** boni Superi
in præsentî Vitam omnis prosperitatis plenam, longævam-
que, & in futuro æternam largiantur, ex animo precatur

EXCELLENTIÆ TUÆ

Devotissimus Clientum, Author.



Decre-

*Decretum Sacre Congregationis Generalis de Propaganda
Fide habita die 26. Novembris 1736.*

REferente R. P. D. Philippo de Montibus Secretario preces R. P. Pauli Györffi Ordinis Minorum S. Francisci Strictioris Observantia. Ex-Ministri Provincialis Provinciae Transylvaniæ, supplicantis sibi concedi facultatem, ut Opusculum ab ipso exaratum, cujus titulus *ars, Progressus, Vicissitudinum, Excisionis, & Restorationis olim Custodiæ: nunc ab Anno 1729. Provinciae Transylvaniæ &c.* Typis mandari, & in publicam lucem edi possit, Eminentissimi Patres audita relatione R. P. D. Nicolai Antonelli Sacræ Congregationis super correctione librorum Ecclesiæ Orientalis Secretarii Revisoris deputati, hujusmodi Oratoris precibus benignè annuerunt. Datum Romæ ex Ædibus ejusdem Sacræ Congregationis die 7. Decembris 1736.

V. Card. Petra Præfectus.

Philippus de Montibus Secres.

† 3

Et. Pe-

Fr. Petrus Paulus à Cirignola Ordinis Minorum Strictioris Observantia S. N. Francisci Lector Emeritus Ex-Provincialis Provinciae S. Angeli, olim Procurator Generalis, & in hac Refor. Cismontana Familia V. Commissarius Generalis; & Servus.

Dilecto nobis in Christo Rev. Patri Fr. Paulo Györffi nostrae Reformatae Provinciae Transylvaniae Ex-Ministro Provinciali, salutem, & Seraphicam benedictionem.

CUM juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit Opusculum à te compositum cui titulus Ortus, Progressus, Vicissitudinum, Excisionis, & Restaurationis, olim Custodiae, nunc Provinciae Transylvaniae &c. tenore presentium ~~obedientia~~ ^{servatis servandis} mandatum, facultatem Tibi impertimur, quatenus ~~obedientia~~ ^{servatis servandis} illud ~~impertiri~~ ^{mandare} possis, & valeas. Datum Romae in nostro Conventu S. Francisci Transylvaniae Tyberim, die 4. Mensis Januarii 1737.

Fr. Petrus Paulus à Cirignola
V. Commissarius Generalis.

Loco  Sigilli.

De mandato Paternitatis Suae Reverendissimae

Fr. Franciscus Antonius Cirignola
Secretarius Generalis.

~~~~~  
JUSSU Reverendissimi Patris Joannis à Petrasitta Minorum Observantium Reformatorum Cismontana Familia Vice Commissarii Generalis Opusculum quoddam, in quo Historia continetur Ortus, Progressus, Vicissitudinum, Excisionis, & Restaurationis, olim Custodiae, nunc ab Anno 1729. Provinciae Transylvaniae Fratrum Minorum Strictioris Observantiae, diligenti discussione percurri. Quoniam verò in eo eruditus Author R. P. Paulus Györffi ejusdem Provinciae olim Minister, nihil quod Orthodoxae Fidei Dogmatibus, aut morum honestati, aut Majestati Principum, vel in minimo detrabere mihi videatur, plerumque verò de Statu Seraphici nostri Ordinis in iis Regionibus omnium florentissimi, bisque nostris temporibus quadantenus restituti scitu digna referantur, lucisque exponantur labores, qui pro animarum heretica labe infectarum

ad

*ad meliorem frugem reductione à præfatis Operariis Apostolicis, exantiantur, Opusculum hoc publicam mereri lucem existimo, atque ut typis quantum celerius fieri potest, tradatur exopto. Roma in Conventu S. Francisci Trans-Tyberini die 19. Junii 1736.*

Ego Fr. Carolus Franciscus Briixensis,  
Sac. Theol. & Controv. Fidei Lector  
Gener. & Ordinis Scriptor.

**L**ibellum, cui titulus est: Ortus, Progressus, Vicissitudinum, Excisionis, & Restorationis olim Custodiæ, nunc ab Anno 1729. Provinciæ Transylvaniae Fratrum Minorum Sancti Francisci Strictioris Observantiæ, de mandato Reverendissimi Patris Joannis à Petrasita Vice-Commissarii Generalis, attentè percolui, & diligenter expendi, cumque in eo nihil deprehenderim, quod historiæ veritati, bonisve moribus adversetur, ut typorum beneficiò ad communem Posterorum eruditionem publicam in lucem prodeat dignum censeo. Roma ex Conventu S. Francisci ad Ripam Tyberis die 25. Aprilis 1736.

Fr. Dominicus à Clesio, Sac. Theol. & Controv.  
Fidei Lector Emeritus, Supremæ & Universalis Inquisit. Rom. Qualificator.

### J E S U M A R I A.

**O**pusculum de Ortu, Progressu &c. Provinciæ Transylvaniae Authore Patre Paulo Györffi Min. Strictioris Observantiæ, de mandato Reverendissimi P. Jo. Benedicti Zuanelli, Sacri Palatii Apostolici Magistri, attentè perlegi & cum nihil, aut Fidei Dogmatibus, aut morum puritati dissonum contineat imprimi posse censeo. Roma ex Seminario S. Pancratii hac die 9. Julii 1736.


Fr. Romualdus à S. Juliano Carmelita excalceat.  
S. Theolog. Lector, & Sac. Indicis Congr.  
Consultor.

FACUL-

I M P R I M A T U R :


Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii  
Apostolici.

*N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesgerens.*



I M P R I M A T U R :

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli Ord. Prædicat. Sacri  
Palatii Apostolici Magister.



FACULTAS ADM. RNDI. PATRIS MINISTRI PROVINCIALIS.

Quandoquidem præfens opusculum *Ortus, Progressus &c.* in Urbe  
Orbis Capite revisum, castigatum, & approbatum, ac etiam  
impressum fuerit; harum nostrarum vigore facultatem impertimur, ut  
servatis omnibus servandis iterum recudatur, in quorum fidem has  
manu propria, & consuetô Officii Sigillô munitas expediri iussimus.  
In Conventu B. Virginis ad Nives Vetero-Claudiopoleos. Die 29. 7bris.  
Annô 1737.

L. ✠ S.

Fr. Ladislaus Bôgôzi  
Minister Provincialis  
*m. p.*

---

NB. In hac secunda editione nihil præsticum addendo, vel demendo,  
sed emendatæ solùm mendæ Typographicæ, Orthographicæ, &  
Grammaticæ; Correcti etiam salvâ substantiâ nimum obscuri sen-  
sus unius alteriusque periodi, utpote pag. 6. §. 3. lineâ 7. Item  
pag. 22. §. 1. Item pag. 25. §. 6.

ORTUS ;

# O R T U S,

Progressus, Vicissitudinum, Excisionis, & Restaurationis,  
olim Custodiæ, nunc ab Anno 1729.

PROVINCIAE TRANSYLVANIAE

*Fratrum Minorum S. P. N. Francisci Stricteris Observantiae.*

## P A R S P R I M A,

De veteri Custodia Transylvaniæ.

QUÆSTIO PRIMA PRÆLIMINARIS.

*Quònam avò invecus in Hungariam Ordo Minorum?*

**R**ELIGIONEM nostri Ordinis Seraphici introductam fuisse in Hungariam Annò 1240. à Pientissimo Rege *Bela* hujus nominis quarto, ex diversarum Provinciarum hujus Instituti Viris Religiosis, pietate, zelò, omnique virtute ornatissimis constatam, quibus etiam rara liberalitate permulta excitavit domicilia. Brevi post hac Familia ista Religiosa in duas excrevit Provincias; unam *Sandissimi Salvatoris*, ex Conventibus septuaginta duobus constantem, in decem Custodias pro faciliiori gubernio distributam.

Alteram *Sandæ Mariæ*, quæ Conventus quinquaginta tres in octo Custodias distributos numerabat, quarum una erat in *Transylvania*, habens quinque Conventus: *Cibiniensem*, *Bisztriciensem* ab aliquo Episcopo Transylvaniæ, cujus nomen usque nunc ignoratur, collatum Fratribus *Minoritis*: Decipi verò illos, qui ex vocabulo *Minorita* contendunt, illum fuisse Fratrum Minorum Conventualium, illud enim nomen non est ipsis quid speciale, sed genericum omnibus Fratribus Minoribus, cujuscunque demum sint Congregationis. *Fori Sicularum*, alias *Maros-Vásárbely*, primitus fuit Fratrum Minorum Conventualium, sed Annò 1446. tempore, & autoritate *Eugenii IV.* Summi Pontificis, Ministri verò Provincialis Patris *Pauli de Zeeb*, datus fuit nostris. *Szász-Váro-sensem* fundatum à Pientissima Regina Hungariæ *Elisabetha* Consorte *Caroli Primi*, & Matre *Ludovici Primi*, Regum Hungariæ, Annò circiter 1370. cujus quidem Regiæ cum nobis memoria subeat, operæpreti-

um existimavimus in gratiam nostri Generis, singulare quidpiam de ipsa, tam memoriâ, quàm scriptis proditum in lucem proferre.

Hæc tamen usque nunc non sit inter Sanctas Canonice relata, pro Beata tamen non immeritò habetur, cujus Reliquiæ usque in præsentiarum apud Moniales *Pozonienses* Ordinis *S. Clare* Virginis habentur in veneratione. Fertur de ipsa, quòd dum quadam vice Romam ingrederetur, (quòd annò, vel cujus Pontificis ætate, adhuc ignoratur,) omnes Campanæ sine extraneo motore pulsaverint, cui inde discedenti Summus Pontifex notabilem partem Reliquiarum *S. Mariae Magdalene* dono obtulit, quæ usque hodie in Monasterio mox dictarum Monialium singulari habentur in honore, Fertur etiam de eadem, quòd dum Sorores Ordinis *S. Clare Budæ*, *Pozonium* tumultuariè quasi fugerent, ejusque ossa ibi reliquissent, apparuit iisdem in via, hæc verba proferens: Redite Budam, meâsque Reliquias vobiscum auferte, nam ubicunque illæ vobiscum fuerint, nullum in temporalibus, aut spiritualibus patimini detrimentum. Reversæ itaque dictas Reliquias deporraverunt in Conventum suum *Pozoniensem*. Testabatur hæc Annò 1650. Soror *Anna Francisca Csáki* se audivisse olim à Sororibus quibusdam senioribus jam vitâ functis.

Quintus proximè dictæ Custodiæ Conventus fuit *Póka-salviensis*. Hæc de Custodia Transylvanica Provinciæ *S. Mariæ Hungariæ* sufficiant, cum jam pridem mutuo ambarum Provinciæ consensus certas ob causas in unam, cum Custodia Provinciæ Sanctissimi Salvatoris coaluerit. Nunc de Custodia hac *Salvatoriana*, quantum licuerit, breviter differemus.

Antequam dictæ duæ Custodiæ in unam coalescerent, Transylvanica Provinciæ Sanctissimi Salvatoris, sequentes quindecim numerabat Conventus: *Csik-Somlyóviensem*, *Claudiopolitanum*, *Alba-Ecclesiensem* seu *Fesér-Egyháza*, *Fel-fakóviensem*, *Vajda Hungariensem*, *Szász-Városiensem*, *Szász-Sebesiensem*, *Bákóviensem* in Moldavia, *Tergoviástiensem* in Transalpina, *Caransebesiensem* in Banatu *Tömösváriensi*, *Tempti*, seu *Teremi*, *Tövisiensem*, *Coronensem*, *Medgyesiensem*, & *Udvorbélyiensem*, de quorum erectionibus, foundationibus, everfionibus, & restitutione infra agemus.

Undenam verò traxerit nomen *Salvatoris* nostra antiqua Provincia, varii variè de hoc senserunt, inter quos opinio Illustrissimi Domini *Francisci Gonzaga* olim totius Ordinis Fratrum Minorum oEænnis Ministri Generalis, expositi Episcopi *Mantuani* nobis haud displicet, qui Chronica

nica suæ quadripartitæ parte secunda, pag. 581. hanc assignat rationem, quòd Deus Teroptimus Maximus, Annò à Nativitate Domini 1456. Mensis verò Augusti octavâ, quæ gloriose Transfigurationi Salvatoris Nostri (olim fortassis illo die celebrabatur, aut in *Gonzaga* error est Typographicus, cum in Hungaria pridem sextâ Augusti celebretur) sacra erat, paucissimis cum millibus Christianorum sub B. Patre *Joanne Capistrano*, eorum Vexillifero, strenuo Duce, ac eximio Nominis Jesu Præcone, ad *Albam Gracam*, nunc *Belgradum* dictum, adversus centum quinquaginta millia Turcarum ad invocationem Sanctissimi Nominis Jesu, quod Salvator interpretatur, gloriosam victoriam, non sine interventu miraculi concesserit, ansam fuisse dicto B. Patri Provinciam hanc Seraphicam *Salvatorianam* denominare.

Tametsi brevitati studere in votis habeamus, non dubitamus tamen banevolo Lectori rem gratam nos facturos, si dictam expeditionem aliquantulum ex alto repetamus. Mahometes ex Ottomanæ Genere septimus *Turcarum* Rex, *Constantinopoli* maximo cum Christianæ Reipublicæ luctu, Annò à partu Virgineo 1453. expugnatâ, ex immodica animi elatione spes maximas concipiebat, *Europam* quoque suo subjugandi Imperio, quò etiam cum ingenti exercitu sese transferre parabat; Quod cum *Nicolaus* Quintus Summus Pontifex Catholicæ Ecclesiæ pienuissimus Pastor certa relatione accepit, *Pannoniis*, *Mysiisque* admodum timeret, quibus amissis, de Christiana Republica sapienter actum esse arbitrabatur, Sacrosanctæ militiæ igitur saluberrimum promulgat editum, quò quidem omnes, qui Sanctissimæ Crucis tesseram ultrò sumpturi erant, gratuitæque facturi stipendia, integra delictorum omnium impunitate donandos adsignificavit, quin & B. *Joannem Capistranum* Virum Sanctissimum, & ad excitandos in id Populos dicendi copiâ, vitæque probitate idoneum in *Germanos*, *Hungaros*, *Polonosque* destinavit, ut ad sacram expeditionem suis declamationibus Populos cohortaretur, qui suscepta sacra peregrinatione, ubi *Padum* trajicere vellet, & à Portitore constanter repelleretur, eò, quòd interdictâ è Seraphica Professione pecuniâ careret pro Naulo exhibendâ, expansum super undas Mantellum cum Sociis confedit, & quâdam veluti naufragii tabulâ in ripam alteram cum avari Portitoris stupore divina ope trajecit.

Cum jam in Germaniam usque *Viennam Austria* feliciter penetrâset, Seraphicam Observantiam mirificè propagavit, multaque in *Noricis*,  
A 2
Germa-

*Germanis, Sarmatis, & Pannonibus* Monasteria construxit, languentemque jamjam Dei timorem, & cultum Divinum instauravit, justumque exercitum Cruce signatorum ex his Regionibus pro dicta expeditione conflavit. Hac ipsa tempestate, cum Illustrissimus Comes *Joannes Corvinus*, Hungariæ Pater, vindexque Christiani nominis, ad *Ladislaum* hujus nominis Quintum Hungariæ Regem *Viennam* profectus esset, ibique B. Patris *Capistrani* (à quo ad inferendum Turcis Bellum, veluti à stimulo Divino incitabatur) Sanctitatem prægustasset, compositis rebus, illum in Hungariam secum deduxit, ut ipse humanis, alter verò Divinis intenderet rebus.

Rumor mox affertur, *Mahometem* jam superatò *Hemò* per *Triballos*, & *Istrum* centum, & quinquaginta hominum millia ducere ad obsidendam *Albam-Gracam*. Illustrissimus verò Comes *Joannes Corvinus*, & Beatus *Joannes Capistranus* infractò animò cum suis uterque Exercitibus properat. Obsidetur *Alba*, Barbarus oppugnationem adoritur, quatit die, noctuque mœnia, nihilque otii Civibus reliquum facit. Beatus *Joannes Capistranus* ex adverso Crucifixum amplexus ad salutare prælium suos suppliciter hortatur, Divinamque illis opem adpromittit. Pientissimus *Corvinus* cum suis pugnat acerrimè, sed superveniente nocte prælium interrumpitur, & altera luce redintegratur; Post hanc pugnam, quæ viginti quatuor horis, sinè ulla intermissione durabat, *Mahometes* quadraginta quatuor Militum millia amisit, paucissimis Christianis interim desideratis; Amisissis pariter omnibus belli tormentis, usque adedò ingemuit, ut præ vitæ molestia venenum sibi porrigi jusserit: Quod cum amici recusarent, timidus, remissus, ac pectore saucius sub papilla, incensis Castris turpem arripuit fugam, neque venerat animò tam elatò, quàm abiit consternatò. Et qui se *terrorem Orbis* edixerat appellandum, à parva susus, fugatusque est manu.

Percelebris hæc victorià, absque ulla ambage virtuti Divinæ adscribenda venit, cum multa cæforum corpora, sinè ullo vulnere reperta fuerint; Ex qua quidem victorià ad Salvatoris Imaginem, ac tremendum Nomen JESU, maxima Hungaris accessit devotio. Rationabiliter igitur deducimus ex dictis, B. *Joannem Capistranum* duabus Provinciis Hungariæ, nomina indidisse, uni, *Sancæ Mariæ*, alteri, *Sancissimi Salvatoris*, qui à *Nicolao* Quinto Summo Pontifice, Annò 1455. in *Germaniam* missus fuerat, rebusque ibi confectis, has quoque partes per-

peragrans, modò dictas Provincias reformavit, ac Regularem in eadem introduxit observantiam.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Quamdiu duravit antiqua Custodia Transylvanica Sanctissimi Salvatoris, quidque cum illa successu temporis actum?*

### §. I.

**N**ON judicamus nos rem ingratham facturos, si benvolo Lectori quidpiam de rebus Hungariæ paucis proposuerimus, antequam ad scopum propiùs accedamus.

Posteaquam Turca juratus Christiani nominis hostis, Annò 1453. captâ *Constantinopoli*, adjacentia etiam circumquaque Regna suo subjûgasset Imperio in viciniam Hungariæ penetravit, ubi perfidissimus Vicinus non contentus feliciores Regni partes in dies sibi subjicere, donec etiam coronatum Regem *Iudovicum*, & septem Insulatos Pontifices, Archi-Episcopos *Strigoniensem*, & *Colocensem*, Episcopos *Váradiensem*, *Pétsiensem*, *Jaurinensem*, *Csanádiensem*, & *Bosnensem* cum plurimis Regni Proceribus uno die, eodémque conflictu in campo *Mohácsiensis*, Annò 1526. deleret; Qua clade duo exitialia mala intulit Hungariæ, unum, quòd Coronam ejus sciderit, alterum, quòd Fidem etiam Romano-Catholicam penè exciderit; Coronam, quia cum in electione Successoris Regni Proceres laborant, dissidiò inter ipsos ortò, pars una *Ferdinandum Austriacum* absentem in Regem adscivit, pars altera *Joannem Zapolium* Vajvodam *Transylvania* præsentem delegit, quem tamen Regale Solium capeffentem, *Ferdinandus* manu validiore superveniens extruxit. *Istvanff. hist. hung. lib. 8.*

### §. II.

**Z**apolius Sulimanni Turcarum Imperatoris nuper triumphantis auxilio fretus, contra *Ferdinandum* toties, quoties necessitas postularef sese vindicavit quoad vixit, facinùsque hoc iniquiore cumulavit, dum filiolum infantem ex suo nomine *Joannem* vocatum, morti

proximus *Sulimanno* in tutelam commendavit, quo sub titulo perfidissimus Tutor, *Budam* Regalis Solii Metropolim pro Regia Prole conservandam extunc placidè intravit, satisque diu cum maximo rei Christianæ detrimento tenuit, quo ex tempore victoriis tumens, *Transylvaniam* quoque tributariam faciens, Regibus Hungariæ terga vertere, & contra eos toties, quoties juberet arma stringere coëgit.

### §. III.

**I**dem Tyrannus, clade mox memorata occasio fuit, ut Fides Romano-Catholica, in tota Hungaria penè excinderetur, nam ubi duo Reges mutuò armis sese insectantur, concomitantibus partium studiis, ut unusquisque ipsorum sibi adhærentes, in officiis ac fidelitate ad interim continere possent, sepositâ tantisper curâ avitæ Religionis, dissimulant quam quisque sequi velit nuper invecam, & jam gliscentem Religionem.

Invisibilis quoque humanæ salutis Adversarius, capta hac occasione pro suo Regno dilatando consilia inicit, vires exerit, bellumque infensus movet, astum Piscatorum imitatus, qui unedò, escâ Piscibus gratâ, cooperitò incautos decipere consueverunt; Non secus, & hic versutissimus animarum Piscator Diabolus, temporalium bonorum immodicò desiderio inescans animos, quò eorum gratiâ, & Cælo, & ipsi Deo faciliùs nuncium mitterent, omni conatu adlaboravit, in his vel maximè rerum circumstantiis, ubi bonis aliorum absque sui labore, & industria partis, potiri quousquisque posset. Primores, potentioresque Regni Proceres inescavit possessionibus, Bonisque Ecclesiasticorum non modò vitâ sanctorum Antistitum, verùm etiam superstitum, tam præsentium, quàm etiam absentium violenta manu arreptis, & inter sese divisis.

### §. IV.

**N**E verò hujusmodi bonorum usurpatores sibi conscientiam, scrupulùmque mordentem facerent, nova dogmata *Arrii*, *Lutheri*, & *Calvini* sub tempestate disturbiorum, armorùmque strepitu sub hæc tempora in Hungariam invecam amplectuntur, quorum Præcones, pari passu, eodémque tenore spargunt, Arces, Castella, Pagos, aliasque Bono-

Bonorum temporalium fundationes, ab Ecclesiasticis, & Religiosis non licitè possideri, eò, quòd Apostoli hujusmodi bona non possederint, ideòque jure merito eos talibus privari, ac Apostolico vivere more conveniat. Dum igitur alius Magnatum post *Lutherum*, alius post *Calvinum* ad placitum abeunt, ecce totus Vulgus ad libertatem pronus eisdem certatim, & plaudendo sequitur, sese invicem sic cohortantes: Non ampliùs tot festa recolenda, tot jejunia observanda, Præcepta Decalogi observatu impossibilia, & quid non? sufficere proinde etiam pejerando asserere, crederèque sese de numero esse Electorum, etiam scelleratissimè quis vixerit, vitamque pari clauferit eventum.

Latam hanc, & spatiosam viam tota ferè *Hungaria* cum *Transylvania* brevi temporis intervallo est ingressa, adeò, ut nulla Civitas, Oppidum alicujus considerationis nullum, vel Vicus reperiat horum novorum, ac plausibilium dogmatum expers, præsertim in *Transylvania*, paucis exceptis, de quibus infra.

### Q U Æ S T I O T E R T I A.

*Quibus partibus Transylvania nova Dogmata incendium intulerint?*

#### §. I.

Q UOD arundinetis succenso plerumque evenire consuevit, ut ventò concitatò, copiosiores ejus partes vehementiori flamma concrementur, ubi non tantum stipitibus in medio incendii consistentibus, & ad resistendum validioribus, sed etiam fruticibus tenuioribus flammam in aliam partem deflexam parcitur: Non secus contigisse experimur Regno *Transylvanie* in præpropere conflagratione antedictorum Dogmatum: Nam dum copiosiores partes, ut sunt *Urbes murata*, *Oppida*, ac *Pagi* amplexu mutuo, animòque promptò huic incendio cedunt, Domini Catholici, quamvis passim ad instar firmissimorum stipitum in medio consistenterent, unà cum tenuioribus fruticibus antiquis Hungaris, quos *Siculos* nominant imperterriti, constantèsque in Fide Romano-Catholica, à suo S. Rege *Stephano* accepta, usque ad præsens perseveraverunt.

#### §. II.

## §. I I.

**I**N Sede Siculicali *Maros*, duæ Matres Parochiæ cum sex Pagis, *Hodos*, *Köszvényes*, *Jobbágy-teleke*, *Dimény-báza*, *Mikbáza*, & *Köszvényes Remete*, salvæ, & integræ permanferunt, duæ aliæ Filiales, *Szováta*, & *Sellye* incendio cesserunt, quarum prima tota à Fide excidit, alterius media pars, sed *Szováta* propitiis Superis brevi reducta, *Sellye* adhuc manet dismembrata.

In Sede Siculicali *Udvarhely* Matres Parochiæ sex manferunt salvæ, & incorruptæ, duarum verò *Korond*, & Oppidi *Udvarhely* pars dimidia leprâ infecta est.

Sedes Siculicales *Csik*, *Gyergyó*, & *Kászon*, quæ ex parte gremii *Transsylvania* profundissimis sylvis, & alpibus, ex parte verò *Moldavia* longè majoribus, & ut plurimum carpatibus circumsepiuntur, à prima suæ ad Fidem Catholicam conversionis ætate, usque in præsentiarum cum numerosissimis, & amplissimis Parochiis, nec non Conventu nostro *B. V. Visitantis* in corde dictarum Sedium antiquitus erecto, ab omni hæreseon labe illæse, virginésque permanferunt.

## §. I I I.

**M**Irum fanè, & nonnisi peculiari Dei providentiæ attribuendum, quòd dictæ Parochiæ in avita Religione perdurare potuerint ob continuam disturbiorum injuriam, eò præsertim, quòd à Reverendissimis Dominis Ordinariis ob dictas rationes fugitivis, proscriptis, & absentibus, submissione Ministrorum salutis, per octuaginta, & plures Annos ad votum juvari non poterant, usque ad mortem Principis *Bethlemii*; Unde tanta Sacerdotum exorta inopia, ut Viri Sæculares Parochorum vices agerent pluribus in locis, iis tantum exceptis, quæ propria essent Presbyterorum.

## §. I V.

**L**ibet hic ad propositum quidquam memorabile, & in rudi Populo laudabiliter gestum inferere. In districtu quoque *Claudiopolitano* quatuor Parochiæ remanserunt in hæreseos incendio illæse, nimirum:

*Mono-*

*Monastor, Fenes, Bács, & Jegonya*, quarum hæc, cùm per aliquot tempus in luctuosissimo illo Ecclesiæ statu Ministrum Catholicum pro se nulloatenus nancisci posset, nec inter Parochianos quisquam literas nôset, proximi Pagi *Egeres* Ministrum factionis Calvinianæ conductum tenuit eo fine, ut statis diebus adveniens, Festos dies, jejuniâque eis denunciaret, baptizaret, matrimonio copularet, & mortuos sepeliret, sed nequaquam præsumeret eis concionari, vel Imagines tangere. Unde vice quadam contra pactum gradus Altaris conscendenti, & exhortationis verba facere volenti, dictum est à valentiori Rustico *Varga Boldisár* nuncupato: tace, descende, & exi sponte, quia invitus exhibis, serva tuum pactum &c. Hæc refert Religiosissimus, ac integerrimæ fidei Vir nostræ olim Custodiæ emeritus Pater, *Joannes Kajoni*, qui ab eodem Heterodoxo Ministro, inque jam dicta Ecclesia fuit baptizatus. Perseverantia in vera Catholica Fide hujus simplicis Populi, soli, & speciali Divinæ providentiæ, nec non S. *Michaëlis* Archangeli tutelæ, cujus honori dicta Ecclesia Sacrata existit, attribuenda venit.

## §. V.

**I**N hujus conflagrati arundineti Transylvanici medio fuere passim præpotentes Proceres Catholici, Nobilitásque singularis, quibus flamma non plus, quàm tribus Pueris in Babylone nocuit, qui tanquam validissimi stipites pro Columnis Ecclesiæ steterunt, pro quorum Spirituali subsidio, & consolatione, juxta temporum angustiam Deus Ter optimus, & Maximus providerat in tribus Parochiis ( præter Siculicales) scilicet: *Albeni, Monastorienfi, & Szilágy-Somlyoviensi*, in quibus publica Regni Constitutione Sacerdoti Catholico, more suo sacra facere liceret, quo pro Festis solemnioribus dicta Nobilitas confluere solita fuit; Verùm quia hæc facultas debilibus, infirmis, moribundis, aliisque legitimis causis præpeditis, non satis patrocinebatur, & stricta nimis visa est, eò vel maximè, quòd cum reliquis Religiosis Ordinibus, Fratrum quoque *Minorum Regularis Observantia* Provinciæ *Santissimi Salvatoris* Custodia *Transylvanica* adeò esset excisa, ut eorum etiam unicus, & principalior *Conventus Csik-Somlyóviensis B. V. Visitantis* ( ex quo ferventissimi salutis animarum Zelatores, etiam cum apertissimo vitæ discrimine excurrere con-

B

sveve-

severant) aliquoties Religiosis vacuus, à Sæcularibus inhabitatus, custoditusque fuerit; Ideo modum adinvenit sæpè dictus Potentatus Catholicus ampliandæ suæ spiritualis consolationis, pro illa rerum circumstantia, præcipuè per Religiosos Ordinis S. *Francisci Strictioris Observantiæ.*



# P A R S S E C U N D A,

De Restauratione veteris Custodiæ.

## QUÆSTIO PRIMA.

Quando, & quomodo nostræ Religionis post disturbia hæreseos passus  
sit apertus?

### §. I.

**M**IGRANTE è vivis Principe *Bethlemio*, Annò 1629. qui *Hungariam* Turcarum auxiliò toties bellò presserat, & Conjuge sua *Catbarina* Brandeburgensi, in Gubernio ad tempus sedente, factum est, ut Patria à strepitu armorum, tantisper sileret. Tunc Domini Magnates *Stephanus Kovácsófszi* Cancellarius Regni, *Michaël Tódalagi*, supremus Capitaneus Sedis *Maros*, *Christophorus Bálintffi*, Thesaurarius *Bethlemii*, & alii plures, qui Columnæ Cotholicæ Fidei in hac Patria videbantur, miserandam Ecclesiæ suæ sortem ob maximam inter alia, præcipuè Sacerdotum, ac Religiosorum Virorum penuriam, amarò nimis, dolentique animò ferentes, communicatò inter se consiliò, duplicem huic malo occurrendi aggressi sunt viam. Unam, scribendo Ministro Provinciali Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris* Hungariæ pro succursu ferendo (subaudi ex justitia) suo Conventui *Csikienfi* Fratibus vacuo. Alteram, scribendo itidem Ministro Provinciali Provinciæ . . . ejusdem Ordinis, quatenus, & ipse in hanc non suam *Custodiam*, ut prior, sed ex charitate unum, vel alterum par Fratrum suorum dignaretur eis transmittere, gratiâ Divini Sacrificii, & excipiendarum Confessionum eorum, qui linguam novissent Latinam.

Pro majori claritate, ac compagum præsentis *Opellæ* exactiori coherentia, oportebat hic Patrum alterius Provinciæ, & Nationis Nomina, Cognomina, consilia, molimina, & conatus ad unguem prosequi, hac præcipuè de causa, ne videremur tantùm fabulari, & commenti quidpiam pro veris supponere; sed cum conscientiam admodum timoratam teneremur, neque velle possemus, ut occasione *Opusculi* præsentis à pusillis scandalum quoquomodo acciperetur; *Æmulorum nostrorum*

Cognomina, nec non Provinciæ, cujus Alumni exstiterant, quantumcunque fieri potuit luci publicæ lubentes subduximus.

Rem nihilominus nostram (ut infra patebit) & molestias, quas Patriæ, ac *Custodia* proprii Filii, duobus propè lustris pertulimus compendiariò tantùm, & quasi Iliadem in nuce clausam offeremus.

### §. I I.

**N**on sunt fraudati utrinque suò intentò Domini Catholici, nam Pater Provincialis Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris*, Annò 1629. duos Patres natos in *Transylvania*, *Nicolaum Somlyai*, & *Martinum Szeredai*, exemplaris vitæ Religiosos pro majori securitate in vestibis sæcularibus submisit, plures etiam missurus, quantociùs sibi per copiam Fratrum liceret. Neque apud alterum exteræ Nationis, & Provinciæ Ministrum, nam, & is Annò 1630. in vestibis sæcularibus misit eis virum probatæ vitæ *Stephanum a. ....* cum tribus sociis Sacerdotibus, *Seraphino a. .... Mariano a. .... & Elia. ....* quorum duo posteriores Patriam exosi, vitâmq; aulicam apud Magnates habitando pertæsi, brevi post tempore in suam sunt reversi Patriam.

### §. I I I.

**D**uo Constantiores Patres, *Stephanus a. .... & Seraphinus a. ....* Annò, quò Senior *Rákóczius* Princeps Solium capessendi gratiâ *Albam-Juliam* solemnè pompa introduceretur, Religiosas vestes reinduendo, ad contuitum novi Principis in publica platea se ipsos stiterunt, ut sese in Regno inventos comprobarent. Interea Pater *Stephanus a. ....* à Sacra Congregatione de *Propaganda Fide* obtentis facultatibus, Missionum Præfectus instituitur, recusânsque in aulis habitare, Parochiam Curatò vacantem in Sede Siculicali *Maros-Köszvényes* vocatam, lingvæ quamvis & ipse, & socius ignari intraverunt, ubi dum Deo, & animabus, dies, noctesque inserviunt, ecce Divino planè nutu factum, ut ex Provincia Hungariæ S. *Mariæ* Ordinis Seraphici Frater quidam Laicus Professor *Casimirus Domokos*, ex proximo Pago *Szováta* oriundus Religiosus exemplaris, & commodè literatus, Parentes visitandi, & ad Fidem  
Catho-

Catholicam reducendi studiô adveniret, qui jungens se duobus dictis Patribus, cœpit eis esse pro lingua, pedibus, ac manibus, in conqui-  
rendis vitæ necessariis, sermonémque exhortationis ad Populum facti-  
tare.

Exinde pro stabiliiori *Missionis Apostolicae* loco, quàm esset dicta Paro-  
chia, in Pago *Mikbáza* filiali mentionatæ Parochiæ, à quodam Nobili  
*Georgio Márkodi* Domum desertam cum suo fundo nobilitari procurave-  
runt, ibique Annô 1635. Ecclesiolam pro cultu Divino, & sepultura  
Nobilium ex muro construere cœperunt. Ad cujus latus nonnullas eti-  
am Cellulas ex lignis exstruere; circa quæ, & Operarios conducendos,  
Frater *Casimirus Domokos*, zelô Dei, & Patriæ stimulatus, lingvæ, lo-  
corúmque expertissimus, omni cum sollicitudine defudavit, ita quòd,  
si quandoque Murariorum, vel operariorum quisquam deficeret,  
ipse ejus vices illicò promptus, & hilaris exciperet.

#### §. IV.

**I**Nterea dum hæc fiunt, Patres, & Fratres Provinciæ *Santissimi Sal-*  
*vatoris* in Conventum suum *Csikiensem* adventantes, cœperunt adedò  
multiplicari, ut jam essent septem Sacerdotes Concionatores, & qua-  
tuor Fratres Laici Professi. Inaudiens itaque Populus Catholicus mul-  
tiplicari Alumnos *Ordinis Seraphici*, simulque intelligens in Sede *Maros*  
ad Pagum *Mikbáza* pro Fratrum habitatione Domicilia construi, plu-  
rimùm gavisi, & in spiritu consolati, æmulari cœperunt & ipsi charis-  
mata meliora, offerendo eis duo alia loca ad excitanda in illis pariter  
Domicilia Religiosa; unum in districtu trium Sedium ad Pagum *Nyíj-*  
*töd*: alterum Spectabilis, ac Magnificus Dominus *Stephanus Haller*, Con-  
siliarius Cellissimi Principis, *Alba-Ecclesie*, alio nomine *Fejér-Egyháza* in  
suis bonis, ubi etiam antiquitùs nostri Ordinis extiterat Monasterium.

## QUÆSTIO SECUNDA.

Quomodo, & quando Conventus Csikiensis cum reliquis locis in novam Custodiam fuerit erectus?

## §. I.

**P**ater *Stephanus* a. . . . . videns viam aperiri pro dilatando Ordine *Seraphico*, consilium iniiit cum primoribus Conventus *Csikiensis* Patribus, de erigenda nova *Custodia Transylvanica*, pro ejusdem Patriæ Filiis in ea vestiendis, & professuris, quorum animus firmior, constantiorque esse solet erga salutem Patriæ procurandam, quàm exterorum ad placitum adventantium, & quavis de causa recedentium: commendabat intertum magna distantia locorum, & difficultas accedendi ex Provincia *Sanctissimi Salvatoris* in hanc *Custodiam*. Inciderat consiliantibus & hoc, ut intentandæ novæ *Custodie* basis, & fundamentum fieret Conventus *Csikiensis*, ab antiquo approbatus, locoque tutiori existens: Inerat Patrum animis spes etiam non exigua, quòd si tota *Custodia* tempestate disturbiorum aliquando graviter premeda, loca recentiora amissura esset, saltem iste Conventus in medulio constantium Catholicorum, montibus carpativis circumseptorum perseveraturus speraretur.

## §. II.

**A**ntequam Patres nostros gloriosos in generationibus suis, laudibus meritis frustrari patiamur, parati sumus nos ipsi cimmeriis involvi tenebris; Salvâ tamen eorum reverentiâ dictum sic, iidem ex *Sancta*, ac laudabili simplicitate plus debicò attribuerunt Patri *Stephano*, . . . . . eundem *Custodia Fundatorem*, non tantùm sentientes, sed etiam scriptò posteritati transmittentes, cùm in rei veritate *Sanctissimus Dominus Urbanus VIII.* illam de novo excitaverit, Pater verò *Stephanus* . . . . . tantùm svasor, & instrumentum fuerit fundandæ; Verùm enim verò si quisquam dici mereatur saltem secundarius Fundator, ii potiori jure censendi erunt, qui jam tunc præexistebant in suo Conventu *Csikiensi*, quàm Pater *Stephanus* . . . . . venisset in *Transylvaniam*, nimirum: *Veteris Custodie* Filii, Pater *Nicolaus Somlyai*, & *Martinus Szeredai*, sinè quorum

rum consilio scissionem facere consultò non judicavit, ut patet ex sequentibus.

## §. III.

**A**pprobantibus autem Patribus *Csikiensibus*, consensúque eorum habito tali sub conditione, si Mater Provincia assentiretur, Pater *Stephanus* ..... *Praefectus Missionum* considerans Fratris *Casimiri Domokos* laudabilis vitæ conversationem, in agendis rebus dexteritatem, & in spiritualibus singularem fervorem, Annò 1639. misit eum *Romam* ad Sacram Congregationem de *Propaganda Fide*, duplici potissimum de causa: unâ, ut dictus Frater *Casimirus* sacris initiaretur, si Eminentissimis Dominis dictæ Congregationis Cardinalibus, & Superioribus Generalibus in Domino visum fuisset. Alterâ, ut nova *Custodia* in *Transylvania* sub titulo S. *Stephani* Regis, pro subsidio animarum in maxima necessitate constitutarum, à Superiorum Generalium Jurisdictione immediatè dependens erigeretur; Obtinuit utrumque, nam & Frater *Casimirus* sacris initiatus, in Sacro loco *Ara-Cæli* primam Missam celebravit, & Breve Apostolicum Neo-erectæ *Custodia* apportavit tenoris sequentis.

## URBANUS PAPA OCTAVUS

*Ad perpetuam rei memoriam.*

**S**alvatoris Nostri JESU Christi vices, licet immeriti gerentes in Terris, illam curam libenter amplectimur, per quam Religiosorum Ordines, multiplicatis Cultoribus, quorum assiduis precibus, & fructuosis operibus Omnipotens Deus propitiatur, ut Fides Catholica propagetur, nostris etiam temporibus suscipiant incrementum, Officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sanè pro parte dilecti Filii Procuratoris Generalis Fratrum Minorum Reformatorum nuncupatorum *Ordinis S. Francisci*, Nobis nuper expositum fuit, quòd pro cultura Catholicorum in *Transylvania*, Hæreticorum, & Schismaticorum in illis partibus degentium conversione, maximè expedit ex Domibus Regularibus Fratrum Minorum *Reformatorum S. Francisci Strictioris Observantia* Ordinis hujusmodi in  
eis-

eisdem partibus existentium, unam *Custodiam Transylvania* nuncupandam erigi, & à Provincia *Sanctissimi Salvatoris* Hungariæ ejusdem Ordinis separari. Nobis propterea idem Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Procuratoris Generalis votis hujusmodi, quantum in Domino possumus, benignè annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & à quibúsvís excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tres domos Religiosas, quæ à Fratribus Minoribus *Strictioris Observantiæ* hujusmodi ad præsens, ut asseritur habitantur in *Transylvania*, nec non aliam de *Csik* eorundem Fratrum Minorum Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris*, illiusque Ministri Provincialis jurisdictione, & superioritate, ita quòd illi amplius minimè subsint, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò separamus. Ipsasque quatuor Domos Regulares hujusmodi in *Custodiam Transylvania* nuncupandam, eadem auctoritate, & tenore præsentium perpetuò erigimus, illamque jurisdictioni, Superioritati, visitationi, & correctioni Ministri, & Commissarii Generalium pro tempore existentium ejusdem Ordinis, qui *Custodiam* sic per Nos erectam pro tempore regant, illique de Religiosis, & aliis necessariis provideant, immediatè subjecimus: Nec non in *Custodem* Custodiæ hujusmodi pro hac prima vice dilectum Filium *Stephanum* . . . ejusdem Ordinis Professore deputamus, & constituimus. Demum eidem *Custodie* sic erectæ, illiusque Domibus Regularibus, *Custodi*, & Fratribus, ut omnibus & singulis Privilegiis, gratiis, eminentiis, concessionibus, & indultis, quibus aliæ ejusdem Ordinis Custodiæ, illarumque Domorum *Custodes*, & Fratres utuntur, fruuntur, & gaudent, uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, similiter & æquè præsentialiter, acsi *Custodia* per præsentem erectæ, illiusque Domibus, *Custodi*, & Fratribus concessa fuissent, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possint, ac valeant indulgemus. Decernentes præsentem literas, validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios effectus fortiri, & obtinere debere, sicque per quoscunque Judices, Ordinarios, & Delegatos,

etiam

etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, irritum, & inane, si secus super his à quocunque quavis autoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae Sanctissimi Salvatoris prædictorum etiam juramentò, confirmatione Apostolica, vel aliâ quâvis firmitate roboratis statutis, & Constitutionibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium tenore præsentium, pro plenè, & sufficienter expressis, illis aliàs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 3. Februarii, M. DC. XL. Pontificatûs nostri Annò Decimo-septimò.

M. A. Moraldus.

Ita habetur registratum in Secretaria Admodum Reverendi Patris Procuratoris Generalis Reformatorum Romæ ad S. Franciscum in Ripa in libro Rerum notabilium, titulò Anni 1644. fol. 74. Idem testatur Indiculus Bullarii Patris Petri de Alva, fol. 351. num. 16. in Registro de Propaganda Fide fol. 119.

#### §. I V.

Provincia Sanctissimi Salvatoris ægrè quidem tulit abscissionem suæ Custodia, sed voluntati Sedis Apostolicæ cedere debuit. Duo loca Missionis hujus Nyíjtód, & Alba-Ecclesia (quæ à Fratribus assumpta, & ad tempus inhabitata fuère in Brevi quoque Apostolico subintellecta) invidentiâ Adversantium deleta sunt, cum gravi deinceps prohibitione, ne præter duos formales Conventus, Csíkiensem, & Mikháziensem, Religio nostra habere præsumat: quàmvis per modum Hospitiî tertium locum in Districtu Gyergyaiensi, non ita pridem Custodia nostra cepit incolere.

Plura etiam alia ab exordio præsentis sæculi ex gratia nunc regnantis

tis Augustissimi Imperatoris *Caroli VI.* Principis nostri *Clementissimi* legitime collata acquisivit, ut infra suis locis videbitur.

## §. V.

**U**bi Pater *Stephanus* . . . . Breve Apostolicum foundationis *Custodia* sub titulo *Strictioris Observantia*, seu *Reformatorum* accepit, tam acriter tulit animo, ut exinde determinaverit omnem movere lapidem, quatenus illud ad *Observantiam*, seu Fratrum de *Familia* nuncupatorum mutare possit. Qua de causa misit Romam Patrem *Andream* . . . . Lectorem, . . . . qui paulo ante in Conventu *Ara-Celitano* omnia sua studia absolverat, in hoc tamen negotio in vanum laborans, dum vacuus rediret, in sua Provincia defunctus est. Quo non contentus Pater *Stephanus* . . . . Anno sexto post foundationem, *Urbano* Octavo Pontifice jam defuncto, & *Innocentio* Decimo succedente iterato misit ea de causa Patrem *Gabrielem* . . . . ad Sacram Congregationem; Interea tamen vigore Brevis dati, & accepti, non desistebat habitu Religionis Juvenes vestire; quid autem responsi & hic Nuntius à Sede Apostolica reportaverit, ex adjuncto Sacrae Congregationis Decreto, & Epistolâ Illustrissimi Domini *Francisci Inguli* facile est intelligere.

## §. VI.

*Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, habitæ die 15. Octobris 1646. coram Sanctissimo.*

**R**eferente Eminentissimo Domino Cardinale *Sfortia* instantiam *Custodis* Fratrum Minorum de *Observantia Reformatorum*, ut *Custodia* illa reduceretur ad *Custodiam* Minorum de *Observantia* nuncupatorum, & ut *Custodia* præfatæ facultas possidendi immobilia concederetur, quia in *Transylvania* Fratres vivere non possunt ex mendicatione quotidiana. S. D. N. ad utramque petitionem negativè respondit; verùm, ut necessitatibus præfatæ *Custodia* (quæ Missionem habet annexam) aliquò modò consulatur, cum illa dispensavit, eò modò, quò factum fuit cum *Missione Reformatorum* in *Pedemonte*, ut scilicet possint Fra-

Fratres *Custodia* præfatæ frumenta, legumina, vinum, victualia, & pecunias, quæ titulò Eleemosynæ illis, eorûmq; Missioni dantur apud Syndicum per *Custodem* deputandum conservare, & per eum Fratribus, & Missionariis in eorum necessitatibus subministrare, quam dispensationem Sanctitas Sua valere voluit durante tantùm Schismate *Transylvania*.

N. Cardinalis Casponius.

L. ✠ S.

*Franciscus Ingulus Secretarius.*

Dilectissimi in Domino Fratres, in quorum gratiam specialiter hanc qualemcunque opellam luci publicæ consecrare statui, utinam serviat vobis pro calcari ad felicîus currendum in via ter Sanctæ, & Deo nuncupatæ vocationis, nec non apprehendendum bravium æternæ salutis mox subjungenda Illustrissimi Domini Prælati Pontificii, & Secretarii Sac. Congregationis commonitoria sequentis tenoris Epistola.

§. VII.

*Litteræ Illustrissimi Domini Secretarii Sacræ Congregationis ad Patres Custodiæ.*

Admodum Reverendi Patres.

**P**eritio vestra bienniò ab hinc per Patrem *Andream* . . . . piè defunctum huic Sacræ Congregationi de Propaganda Fide exposita, atque eo tempore ulteriori seposita ventilationi, his diebus iterum fidelis non minùs studiò, & sollicitâ curâ Patris *Gabrielis* . . . . Eminentissimorum Patrum matura consideratione, tandem ad S. D. N. delata fuit. Qui quidem attenta rei petitæ magnitudine, nec non causæ (ob quam rogatio fieret) levitate perpensa, petitionem ipsam renuit omninò admittere, de Paterna verò benignitate concessit ea, quæ statui vestro congruere, & præsentî necessitati sufficere secundum De-

um melius judicavit, velut ex adjuncto Decreto clariùs etiã cognoscere valebitis. Vestrum itãque est Patres, Apostolicæ Sedis stare iudicio, ejùsque voluntati obtemperare, cui vel maximè post Deum vestras devinxistis voluntates; Neque verò ea res ardua vobis videri debet, si finem spectetis, cujus gratiã, mundo, & ejus pompis renuntiãstis. Considerandum quippe, atque pura mente recolendum vobis est, qui sitis, inter quos constituti, quid facitis, & quales futuri estis; Fundatores nimirum, & primi Vineæ vestræ *Franciscana* inter tot errorum spineta Institutores, qui nisi in ea puritate, (quæ vel maximè ad Patris vestri *Francisci* præscriptum, & normam accedit) plantaveritis, illa non uvas perfectionis, sed relaxatæ disciplinæ labruscas fructificabit.

Quales futuri erunt successores vestri, si vos tam laxatè, & commodè vivendi exempla reliqueritis? Vos nunc prata, agros, vineas, molendina, Colonos desideratis, illi quid? nisi Arces, sumptuosa Palatia, & possessiones Provinciarum meditabuntur. Arctam Pater vester vitam duxit, dum viveret, nihil habere, nihil possidere, sed pauper, nudus, nudum, & pauperem Christum sequi studuit, nunc Filii ejus divitias quærunt, & qui pauperes in sæculo fuère, in Religione paupere divites esse volunt. Vetus adagium est; Monachus habens obulum, non valet obulum: propter quod tam strictè iteratis vicibus in Regula vestra pecunia prohibetur, quia videlicet vos Fratres, qui sinè illa Hæredes, & Reges Regni Coelorum deputati estis, Exreges, atque Exhæredes ejusdem, & nihilum quidem valere facitis. Attendite, qualiter innumeris præmantur *Turcarum* calamitatibus Fratres vestri, eam potissimùm ob causam, ut timeat confitentur, & vos bene nôstis, quia.... Ergo saltem aliendò malò edocti, desideria vestra castigare.

Celebratis *Bernardinum*, *B. Joannem Capistranum*, *Jacobum de Marchia*, quos paupertas Cœlo invexit; Horum vobis sunt sectanda vestigia, ut vos postea Posterì inde commendare, & admirari possint. Stimulat vos exemplum quorundam, qui bona isthic, aurum, argentùmque coaceravant, & ignorant cui congregabunt ea, sed stimulus hic pellit ad inferos, neque in eo debet esse æmulatio, verùm, ut docet Apostolus, æmulamini charismata meliora. Sed his spero vos satis conquieturos, ubi Statuta Strictioris Observantiæ, & alia (quæ idem Pater *Gabriel*, vobis Commissarius Visitator destinatus coràm explicabit) in charitate  
exami-

examinaveritis. Habet in commissis, & quomodo visitationem peragere, & ea, quæ ad perfectionem sunt necessaria, vobis tradere debet; Cui si perfectam tribueritis obedientiam, habebitis me quoque semper vestri addictissimum, qui summopere cupio, ut in bono crescatis, & non minùs exemplò, quàm verbò Fidem, & Religionem Catholicam prædicare non negligatis. Romæ die 22. Octobris 1646.

PP. VV.

L. H. S.

*Studiosissimus*  
*Franciscus Ingulus Secretarius.*

Horum Originalia in Archivio Provinciæ asservantur, paria verò, tam in Secretaria Sac. Congregationis, quàm Procuratoris Generalis Reformatorum, Lib. Missio-Apost. Annò 1646. fol. 151. ad S. *Franciscum* in *Ripa*. Item ibidem 153.

§. VIII.

**N**Ec hoc lubet pro rei ampliori confirmatione omittere, quòd ubi præfatus Illustrissimus Dominus Secretarius Fratrem *Franciscum Jegencyei* primum *Custodia* professum Filium intellexisset in studiis Theologicis *Viterbii* apud Patres *Observantes* collocatum, illicò eum *Romam* accitum, inter Patres *Reformatos* ad S. *Franciscum* in *Ripa* collocari fecit, pro continuandis suis studiis, spe concepta *Custodiam* in sua fundatione, ab eo, data tandem occasione, defensum iri. Interea Pater *Stephanus*.... dum per quatuor, vel quinque annos perplexus hæret, in re tam grandi quid sibi agendum esset, accessit sancta mors, & sibi tam vitam, quàm dubium solvit. Socii nihilominus sæpiùs memorati Patris *Stephani*.... nunc plures, nunc pauciores, prout ad placitum ex sua Provincia veniendo crescebant, & recedendo decresebant, id ipsam, quod Pater *Stephanus*.... exorsus fuerat, à se perficiendum, minimè desperabant, plures & plures recursus faciendo ad Sacram *Sedem*.

## Q U Æ S T I O T E R T I A.

*Quibus incommodis neo-erecta Custodia laboraverit, & qua ratione paci illius consultum fuerit?*

## §. I.

**C**unctarum calamitatum antè perpeffarum, & paulò supra genericè relatarum, summa esto hæc, quòd Patres alterius Provinciæ, & Nationis, absciffam auctoritate Apostolica à Provincia Hungariæ *Santiffimi Salvatoris Custodiam Transylvanienfem* omnimodis suæ Provinciæ jungere studerent, vel faltem ad minùs Conventum *Mikháziensem*, cujus rei gratiâ tamen plures recursus fecerint ad Sacram Sedem, semper tamen negativam reportârunt.

Si quos de nostris præcipuè Religiosis amplior pernoscendæ antiquitatis, & in illa malè actorum cupido pulsaverit, poterit sufficienter nôsse ex scriptis Patris *Joannis Kajoni* illius ævi supparis.

Cùm Patres exteræ Provinciæ, ac Nationis, ab inceptis desistere nollent. Filii *Custodia* ad S. Sedem pro extremo remedio, & ipsi confugiendum esse duxerunt. Decreverunt igitur Patres hunc in effectum talem destinare, qui & linguam Italicam aliquid calleret, & primus Brevis Apostolici gratiam per solemnem Professionem expertus fuisset, scilicet Patrem *Franciscum Jegenyei*.

Paruit is tam sancto operi, junctioque salutaris obedientiæ meritò, *Remam* abiit. Abiit & alter pro parte adversa Pater *Bartholomæus* . . . . cum duobus sociis, cùm verò jam utraque pars Romæ in Collegii Apostolici Palatio Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, determinato die comparuisset ( assistentibus utrinque Procuratoribus Generalibus Ordinis, & quidem pro parte Filiorum *Custodia* Patre *Joanne Baptista* à Pignarolo ) Illustrissimus Dominus Secretarius Sacræ Congregationis *Dionysius Massarius* utriusque partis causas exploratas habere voluit.

## §. I I.

**I**nterim Breve Apostolicum foundationis ante omnia lectum est publicè. Procurator Generalis Partis Adversæ, unica hac ratione contendebat

*Custo-*

*Custodiam* debere esse suorum, quia Pater *Stephanus* . . . primum, & præcipuum instrumentum restorationis *Custodia* fuit de suis. E contra Procurator Generalis Reformatorum ex claro verborum in Brevis Apostolico expressorum tenore *Urbani VIII.* & Decreto *Innocentii* &c. ( à quo Pater *Stephanus* . . . petierat, ut *Custodia* de *Reforma* mutaretur in *Observanti- am*, & responsum fuit negativè:) stabiliebat. Reliqua inter contra illos, & in nostri favorem erat statûs Catholici *Transylvanici* gravissima interpositio, nempe nullatenus permittere volentis Jus Patronatûs Conventûs *Mikházienssis* exteræ tam Provinciæ, quàm Nationi, suis eleemosynis, & pro suis filiis Religionem suscepturis exædificati. Plura etiam hujus rei gratiâ in medium prolata fuère.

Hæc videns, & audiens Illustrissimus Dominus Secretarius hanc tulit sententiam: Filii *Custodia* habent sole clariorem justiciam, nullûmque subesse dubium, de quo controversia fieri debeat. Filius *Custodia* præsens Pater *Franciscus Jegenyei* adjecit verbum: Si Sanctissimus Dominus Noster *Alexander* Septimus, modernum Sanctæ Ecclesiæ caput aliter decreverit, quàm usque modò decretum sit, illicò Sanctissimis suis pedibus me submittram, aliàs ego in virtute Brevis Apostolici *Urbani VIII.* suscepi habitum, & professionem emisi: ad quæ Secretarius respondit omnibus audientibus: Non est Homo æqui amans natus in mundum, qui efficiat, ut hæc mutantur. Res ista tam firmis duorum Pontificum Decretis nititur, ut non sit rationi consentaneum, tertium superaddere, nec ego quidquam Sacræ Congregationi, de hoc tam evidenti negotio proponam, Authoritas Superiorum Generalium pro medela erit, suo tempore solummodo adhibenda.

### §. III.

Proclamatâ taliter ab Illustrissimo Domino Secretario Sacræ Congregationis causâ in nostri favorem, discessit utraque pars. At Reverendissimi Patres Generales noluerunt remedia, aliàs gratis pertentata, amplius adhibere duplici de causa. Primâ, ne novum vulnus novò, & fortasse deteriore recrudesceret. Sacundâ, quia & temporum circumstantiæ impedimento esse dignoscebantur; oborta enim brevi pestilentia, omnes Italiæ passus reclusit. Pacem etiam *Transylvania* Principis

*Rákó-*

*Rákócii* absque venia *Turca* in *Poloniam* injuriosa irruptio, ibidemque sui exercitûs deletio, ita turbavit, ut *Turca*, & *Tartarus* non contenti eum Regnô privâsse, sed etiam per quinque, & amplius annos propter multiplices Principum mutationes, ferrô, & igne totam crudeliter vastârunt *Transylvaniam*.

## §. I V.

**T**Andem pace sub auspiciis Celsissimi Principis *Michaëlis Apassi* confecta, superni Spiritûs Sancti Gratia svasit Reverendissimo Patri *Bonaventura Caballo* Commissario Generali, ut dictis malis excidendis, de Potestatis plenitudine extremam admooveret manum.

Requisivit igitur pro tunc Commissarius Generalis Pater *Bonaventura Caballo* Vicarium Generalem *Transylvania* Reverendissimum Dominum *Joannem László*, ac Catholicum Statum ad præscriptum Decreti S. Concilii Tridentini Sess. 25. cap. 14. ut adminiculô brachii Sæcularis, Religiosi illi exteræ Nationis, & Provinciæ, qui non in *Custodia* fuissent Professî, ad sua redire compellerentur, ac *Conventus Mikháziensis*, Fratribus, & Patribus *Custodia Transylvania* cæterum pacificè possidendus traderetur, quod & factum est Annô 1666. die 6. Augusti, Executoribus Spectabilibus, ac Magnificis Dominis *Casparo Kornis*, & *Stephano Lázár* in præsentia mox dicti Reverendissimi Domini Vicarii Generalis, approbante totum Sacra Congregatione Eminentissimorum Dominorum Cardinalium de propaganda Fide.

## §. V.

*Decretum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide habitæ die quinta Septembris 1667.*

**R**elatis controversiis ortis inter Fratres Ordinis *S. Francisci Strictioris Observantia Custodiæ Transylvania*, & *Minores Observantes* ejusdem Ordinis *Conventus Mikháziensis*, Sacra Congregatio specialiter deputata, visis, ac diligenter consideratis, quæ super illorum diffidiis usque ad hæc exposita fuerunt, præcipuè contra dictos Fratres *Minores Observantes*, qui *Decretis Sac. Congregationis* circa subjectionem *Conventus*

us *Mikháziensis* prædictæ Custodiæ *Transylvaniæ* juxta præscriptum Brevis Apostolici Sanctissimi Domini Nostri *Urbani VII.* ac suorum Superiorum mandatis, quamvis sæpius moniti, & requisiti fuerint, parere recusarunt. Ad occurrendum ne imposterum alia scandala in præjudicium Religionis Catholicæ oriantur, præcepit *Custodi*, aliisque pro tempore Superioribus localibus Conventuum *Csikiensis*, *Mikháziensis*, & *Gyergyaiensis*, cæterarumque Domorum Religiosarum, si quæ in prædicta *Custodia Transylvaniæ* erunt, ne Fratres Provinciæ, vel Nationis extræ, ampliùs in ipsis recipiant, neque ad gradus, & munia Religionis, etiam localia, sub pœna nullitatis admittant, & ita firmiter observari mandavit. Datum Romæ die 5. Septembris Annò 1667.

N. Cardinalis Barberinus.

L. ✠ S.

H. Casanata Secretarius.

§. VI.

P Orrò, ex Sobole eorum cum quibus ingens, & diuturna nobis fuit miseria, non desunt, neque desistunt usque in præsens objectare, quòd omnes Conventus *Transylvaniæ* Fratrum Minorum olim pertinebant ad suam Provinciã extram. Quod quàm consultò, ac sinè fundamento factitent, cape paucis Lector benevole. Provinciæ Hungariæ Sanctissimi Salvatoris, & Sanctæ Mariæ (quarum omnes Conventus *Transylvanici* ab ævo fuerunt) longè sunt antiquiores Provinciã illã, utpote erectã Anò 1275. si credimus Illustrissimo Domino *Francisco Gonzaga*, hoc ipsum in suo quadripartito de ortu, & progressu Religionis Seraphicæ opere pag. 580 remonstranti, qui ortum Provinciæ . . . . . refert ad Annum 1342. cumque dux indigenæ, & inclytæ Nationes *Transylvaniæ*, utpote *Hungarica*, & *Saxonica*, usque ad defectionem *Lutheri*, & *Calvini* ab avita Religione, fuerint totæ Religionis Romano-Catholicæ, Ministris, que Spiritualibus longè copiosius provisæ, quàm simus in præsentiarum, hinc non videtur, quòd frugi, cujusque rei gratiã adscivissent in suas Terras ignotæ, & relatè, ad Idioma nostrum, barbaræ lingvæ homines. Videant igitur illi, ut aliis ex fontibus, aut statuunt, aut retractent, à se hætenus sparsa.

D

§. VII.

## §. VII.

**C**Æterum Fratres Charissimi fundamentum *Custodia* vestræ sub titulo *Strictioris Observantia*, tam firmum, solidumque Apostolica est manu positum, ut nec portæ Inferi valeant illud evertere, si vos ipsos firmos, constantésque in eo exhibueritis. Sanctissima illa Sedes, cujus sacris manibus vineola vestræ *Custodia* plantata est, defender vos, tutabiturque ab incurisibus malis, dummodo sub pennis ejus speretis, & illuc confugiatis.

Non svaserim autem, ut illicò quibuscúnque malis impulsì, directè ad ipsam Sacram Sedem recursum faciatis, sed ut ejusdem desideratissimâ gratiâ, & favoribus ad votum perfrui possicis; imprimis Illustrissimos, ac Reverendissimos Dominos Ordinarios, aliósque, si qui futuri sint, Ecclesiarum Prælatos ante omnia debitâ reverentiâ, omnique obsequiorum prompta exhibitione demereamini; Nam iidem vobis, & vos vicissim ipsis omni cum energia ab Ecclesia recommendati invenimini.

Lubet hic brevibus tantùm asserre in medium quædam ad rem nostram facientia ex Constitutione 22. Sanctissimi Domini *Leonis X.* incipiente: Dum intra; in qua Pontifex §. 23. sic loquitur: eosdem insuper Fratres in virtute Sanctæ obedientiæ monemus ( hoc est præcipimus) ut eosdem Episcopos locò Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, ac Apostolicæ Sedis reverentia congruo honore, & convenienti observantia venerentur. Reverendissimos verò Episcopos admonet in hæc: Ipsosque Episcopos hortamur, ac per Viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes charitativè tractent, ac benignè foveant, séque illis minimè difficiles, aut duros, vel morosos, sed potiùs faciles, humiles, propitios, piâque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus. . . . . tanquam in agro Dominico cooperatores, eorùmque laborum participes, prompta benignitate recipiant, eorùmque jura omni cum charitate custodiant, atque defendant; Ut tam Episcopi, quàm Fratres præfati (quorum opera, veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christi Fidelibus lumen præbere debent) ad Dei laudem, Fidei Catholicæ exaltationem, Populorùmque salutem de virtute in virtutem proficiant.

## §. VIII.

## §. VIII.

**C**ustodia nostra *Transylvanica* Tituli S. Regis *Stephani* à sui iterata erectione, quæ Annò 1640. contigit, usque ad erectionem in Provinciam Annò 1729. factam, habuit *Custodes* Regiminis, seu *Provinciales* numerò 74. quorum aliqui bis, & alii ter fuere *Custodes*, existentibus interea, ut contingere solet, quibusdam Vicariis, aliis verò Commissariis Provincialibus, qui pari passu fuerunt cuncti *Missionis Apostolicae* de Propaganda Fide *Præfècti*, cum amplissimis facultatibus; Quorum infra amplior, & expressa recurret mentio.

## QUÆSTIO QUARTA.

Quò emolumentò, & fructu exercita fuerit olim  
*Missio nostra Transylvanica.*

## §. I.

**P**atres nostri, vel evanescentis gloriæ umbram immodicè declinantes, vel in suorum laborum fructibus annotandis minùs curiosi existentes, vix aliquid, aut planè valdè exiguum scriptotenus posteritati transmiserunt; ac hoc ipsum, quod ipsi latere fortassè recta intentione voluerunt, *Inclitus Status Catholicus* in binis Authenticis instrumentis literariis concelebrare voluit, quorum alterum est tenoris sequentis: Alterum in erectione *Custodia* in Provinciam producemus.

*Testimonium Incliti Statûs Catholici Transylvanici.*

**N**OS *Inclitus Status Catholicus* Regni *Transylvaniae*. Universis, & singulis cujuscunque Statûs, Ordinis, & dignitatis fuerint, in quorum manus hæ nostræ literæ presentes venerint: Præsentium tenore, & testimoniò irrefragabili mediante, conscientiosè attestamur, Religionem *Franciscanam*, seu Ordinem Sancti *Francisci Seraphici* Stricterioris Observantiae, dum in memorato hocce Regno *Transylvaniae* Catholica Ecclesia valde multis revera calamitosissimis Annis, propter variorum hæreticorum eò tum grassantium juratam in Catholicos persecutionem,

maximè afflicta, & quodammodo omni consolatione orbata, in statu penè lamentabili miserrimè constituta fuisset, eò tum omnes cujuscunque Ordinis alterius, & Religionis viri de longè existentes, inter tot, & tanta vitæ discrimina, & mortis pericula, cum manifestissimo vitæ suæ periculo constanter perseverâsse. Qui prænominatus Sacer Ordo *Franciscanus*: (ut præfertur Strictioris Observantiæ) hanc nostram *Transylvanicam* Catholicam Ecclesiam, verè protunc pusillum Gregem, indefesso labore, utpote: continuis Missionariis excursionibus, verbi Dei prædicationibus, Hæreticorum conversionibus, Catholicorum sat paucorum hinc inde hac in Patria promiscuè degentium conservationibus, Juvenum Scholasticorum instructionibus, ac tandem præter hæc omnia, propriæ vitæ suæ sanctimoniâ, & exemplaritate à primordio semper servavit, dilatavit, & suò possibili modò exaltavit; unde jam propter eorum singularem expertam Religiosam pietatem, & palàm compertum ferventissimum animarum zelum, non tantùm inter hæreticos hujus Patriæ, sed etiam invasores Paganos, Turcas, & Tartaros, hanc in Patriam semper zelosos fuisse. Nos etiam eosdem singulari nostra protectione, & pro his omnibus jam præmissis zelosis laboribus, reciproca conservatione dignissimos judicamus, & meritò eis hoc Testimonium perpetuò valiturum tribuere possumus, imò debemus, tanquam manifestæ veritatis recognitores, & defensores. Insuper majoris fidei gratiâ Supremi hujus Regni Officiales, & *Catholici Status* Assessores Sigillò nostrò obfirmamus, & nomine subscribimus. *Claudiopoli die 14. Decembris Annò 1726.*

*Sigismundus Kun*  
*Excelsi Regii Gubernii, ac Incltyti Status Catholici Secretarius.*  
L. H S.

§. I I.

*Nomina Custodum Regiminis, seu Provincialium ab Anno 1640.*  
*usque ad Annum 1729.*

**R**eflectendo Nos ad partis secundæ, quæst. tertiæ paragraphos primum, secundum, tertium, & quartum, quosdam de numero istorum meritò expungimus. Primus itaque fuit: Ad-

Admodum Reverendus Pater *Modestus à Roma*, Reformatæ Provinciæ Romanæ Professus, electus Annò 1648. duravit duos annos.

Secundus Reverendus Pater *Casimirus Domokos*, & duravit annò undò. qui etiam pro sequenti triennio autoritate Reverendissimi Patris Generalis fuit in officio confirmatus, Vir multarum virtutum, qui etiam per Breve Apostolicum fuit institutus *Vicarius Generalis Apostolicus Transylvania*, & consecratus Episcopus *Coronensis in Gracia*.

Tertius Pater *Franciscus Jegenyei*, primus, & geminus Filius *Custodie* Annò 1660. Autoritate Reverendissimi Patris Ministri Generalis *Michaëlis à Sambuca* institutus Commissarius Provincialis, in quo duravit annis quatuor, & aliquid amplius.

Quartus Pater *Modestus à Roma* Italus, Reformatæ Provinciæ Romanæ Pater, electus Annò 1665.

Quintus Pater *Franciscus Jegenyei*, insignis doctrinæ, pietatis, & zeli Religiosæ observantiæ Vir, per Breve Apostolicum institutus 1669. & duravit trienniò.

Sextus Pater *Adalbertus Ujfalvi*, ex Presbytero Sæculari Parocho, factus Religiosus, media electione Canonica Annò 1672. duravit trienniò, spiritu devotionis, singulari castimonia, & humilitate, nec non verbi Dei fervidissima prædicatione insignis.

Septimus Pater *Joannes Kajoni*, electus 1675. & trienniò duravit, laborum, & industriæ laude singularis, quem Sacra Congregatio de Propaganda Fide constituit *Vicarium Generale Apostolicum Transylvania* cum successione ad *Episcopatum Transylvaniensem*, sed vel in hoc laude dignior, quòd præ humilitate recusaverit.

Octavus Pater *Franciscus Jegenyei*, Annò 1678. tertio reelectus, duravit trienniò.

Nonus Pater *Thomas à Sancto Severino*, Italus, electus 1681. undò annò duravit, in ejus locum Canonicè institutus est Vicarius Pater *Adalbertus Ujfalvi*.

Decimus Pater *Antonius Valsanzski* Pannon, assumptus annò 1684. trienniò duravit. Virtute devotionis, zelòque Regularis disciplinæ conspicuus.

Undecimus Pater *Petrus Horzó*, Siculus, ex Præsbytero Sæculari factus Religiosus, assumptus in *Custodem* Annò 1687. duravit in Officio trienniò, fuit olim Alumnus Collegii Sancti *Apollinaris Romæ*, felicitate ingenii

genii, doctrinâ, sapientiâ, morum gravitate, & donô pietatis conspicuus.  
Duodecimus Pater *Antonius Valsanzki* secundò assumptus Annò 1690. duravit trienniô.

Decimus tertius Pater *Petrus Hozó*, secunda vice Canonicè reassumptus annò 1693. duravit trienniô.

Decimus quartus Pater *Elzearius Ivanovich* Croata, electus Canonicè 1695. quem in Officio confirmavit Sacra Congregatio Regularium, & Episcoporum, quia non *Custodia*, sed *Sancta Maria* Hungariæ Alumnus fuerat, duravit trienniô. Excellenti doctrina, pietate, solitudinis amore, Regularisque disciplinæ exemplò præcipuè memorabilis. Hic erexit, & stabilivit studia Philosophiæ, & Theologiæ, cum pro priori duo Lectores ex minori *Polonia* irritò conatu hoc ipsum pertentaverint.

Decimus quintus Pater *Franciscus Nizer* Belga, electus Canonicè annò 1699. duravit in Officio triennium. Fuit discipulus Patris *Elzearii*, & primus ex Provinciæ Fratribus *Lector*, insigni doctrina paucis secundus, comitate, sapientiâ, & disciplinæ Religiosæ zelò conspicuus.

Decimus sextus Pater *Modestus Sigrái* Pannon, electus annò 1702. duravit in Officio, ut *Custos* tribus annis, ut *Commissarius* Custodialis semestri, & ut *Vicarius* Custodialis totidem ferè mensibus, cum illa turbulentissima temporum ætate facultas celebrandi priùs Capituli obtineri non potuerit. Fuit, & nomine, & re verè modestus, insuper donô orationis, singularis mansuetudinis, abstinentiæ, mortificationis, & disciplinæ religiosæ tam verbò, quàm exemplò clarus.

Decimus septimus Pater *Emericus Lámprik*, Ungarus Claudiopolitanus, assumptus Canonicè 1706. de quo, & aliis, si qui supersunt nihil laudis apponere libuit, ne laudantem adulatio, vel laudatum pulsaret elatio, sed laudent eos ingenua posteritas, & opera eorum in portis.

Decimus octavus Pater *Franciscus Nizer*, secundò est assumptus 1709. duravitque tribus Annis inter strepitum armorum, pestis, & continuarum ferè infirmitatum miserias.

Decimus nonus Pater *Petrus Becze* Siculus, electus Canonicè Annò 1712. duravitque in Officio trienniô. Prædicatione verbi Divini, & laborum laudabilium virtute laudabilis.

Vigesimus Pater *Modestus Sigrái*, secundò reelectus Annò 2715. continuavit in Officio trienniô.

Vigesimus primus Pater *Casparus à Sancto Nicolao* Siculus *Udvarbelyjensis*,

*ensis*, electus Annò 1718. qui medio sui Officii tempore pia morte interveniente in vivis esse desit, Doctrinâ, zelò observantiæ regularis, ac laborum laude commendabilis, magnæque spei, nisi ipsi Parcæ vitam invidissent. Ejus Officium continuavit sub nomine Vicarii Pater *Emmericus Lámprik*.

Vigesimus secundus Pater *Paulus Györffi* Siculus, ex Guardianio Csi-kienti Canonicè assumptus Annò 1721. continuavit per triennium.

Vigesimus tertius Pater *Antonius Schirmer* Germano-Bohemus, institutus Canonicè Annò 1724. qui in sæculo fuit *Commissarius Bellicus Casareus*, unde etiam in Religione virtutis, prudentiæ, gravitatis, comitatus, devotionis, ac disciplinæ Religiosæ laudibus meritò commendatur; Qui interveniente morte, Officiò ante tempus persuasus, Sedem Vicariam reliquit Patri *Paulo Györffi*.

Vigesimus quartus Pater *Alexius Csató* Siculus, qui ex actuali Theologiæ Lectore, & Secretario *Custodiali* assumptus est Annò  
1727.



## P A R S T E R T I A,

Ereclio Custodiæ in Provinciam.

## Q U Æ S T I O P R I M A.

*Quandonam, & qua occasione erecta sit Custodia in Provinciam?*

## §. I.

**I**NCIDENTE Capitulo Generali in Annum 1729. Reverendissimus Pater *Matthæus à Pareta* Minister Generalis, auctoritate sibi de Jure competente, per patentes literas convocavit Annò 1728. cunctos totius Ordinis Vocales ad celebranda Comicia Generalia in Urbe *Lombardia Mediolanensi* Annò 1729. 4. Junii, quò, & noster pro tunc Adm. Reverendus Pater *Alexius Csató* Custos Provincialis citatus, faventibus Superis feliciter appulit; Ubi inter alia negotia de consensu Patrum dictæ *Custodia*, validis rationibus, & congruentiis innixam porrexit Diffinitorio Generali instantiam, ut sua *Custodia*, tam multis retrò annis, injuriâ vel maximè temporum, & vicissitudinum suppressa, in numerum *Provinciarum* cum solitis privilegiis, honoribus, & præminentis authenticè erigeretur. Eximias vires addebat ejusdem supplicationi etiam recommendatio totius Inclyti *Statûs Catholici Transylvanici* tenoris sequentis.

## §. II.

*Venerabilissimum Diffinitorium Generale Seraphicum.*

**P**Osteaquam potiorum Nationis quondam Mariano-Hungaricæ partem, à vera Romano-Catholica Ecclesia ad hæreses deficere contigisset, adeoque invaluisset, ut vires, animûmque ad tollendos Patres Spirituales, consequenter extirpandam Catholicorum perseverantium paucitatem convertisset, eâdem sevitia etiam Sacer Ordo in *Transylvania* Seraphicus maximum sui numerum Martyriò amittere, Monasteriis (paucis exceptis) se spoliatum cernere, ac pati debuit, unâ cum manipulo

nipulo Catholicorum, sub persecutione Acatholicorum binis fermè sæculis gemendo; Tantâ nihilominus ferebatur Seraphica illa Sancti Ordinis reliquia animarum curâ, ut è quibus pro excitando tandem Catholicæ Religionis igne, nec scintillam quidem volebat hæreticus furor relinquere, ingens, ac jugis Patrum *Franciscanorum* labor, & sollicitudo ad fertilem messëm non tantùm conservaret, verùm augmentum, etiam per conversionem nonnunquam experiri liceret; Unde, quia singularem agnoscimus erga Sacrum Ordinem *Seraphicum* obligationem, ingratitude vitium declinaturi, quærimus, lubentèsque amplectimur debita nostra rependendi occasionem, ac emolumentum (quantùm in nostris situm est viribus) allaborare nitimur. Ad quod congruam rati præsentem Venerabilis Diffinitorii Generalis indicationem, præcipuè cum ipsæ etiam rerum circumstantiæ votis nostris favere videantur, gratulabundi acceptamus, sequimurque adeò propitias temporis oblationes, nostramque pro Venerabili hac *Custodia Transylvanica* intercessionem exhibemus, in Provinciam elevari petentes; Nec abs re, siquidem tum in decorem Sac. Ordinis id tendere, tum verò ratio, & merita svadere dignoscantur: Pro Monasteriis enim Sacro Ordini quondam adeptis, alia in iisdem locis sunt acquisita, tum clausuris, tum personarum numero ritè instructa; Insuper actû plures ædificantur *Residentie*, mox in *Conventus* formales redigendæ. Si verò merita considerentur, tantum est pro emolumento Sanctæ Matris Ecclesiæ per Sacrum huncce Ordinem in *Transylvania* præstitum, ut paucitas Catholicorum, tempore defectionis ad hæreses, in vera Fide perseverantium in millenos, & millenos jam exerevit numeros. Filiali igitur Venerabile Diffinitorium Generale fiduciâ rogamus, quatenus *Custodiam* hancce *Transylvanicam*, ad suprafatam Provinciam elevare Venerabile Diffinitorium Generale dignetur: Quo favore nos quòque ad ulteriora Sacri Ordinis servitia magis, ac magis obligati reddemur. Prout manemus etiam.

Ejusdem Venerabilissimi Diffinitorii Generalis  
*Obligatissimi Servi.*

Status Romano-Catholicus  
Transylvanicensis.

Datum Claudiopoli die 12. Mensis Martii.  
Annò Domini 1729.

*Concordat cum Originali ad verbum.*

E

§. III. Per-

## §. III.

**P**Erpenſis itaque perpendendis, Diffinitorium Generale ejuſdem votis, ac juſtis poſtulatis annuendo, noſtram *Cuſtodiam* Statutò publicò in *Provinciam* elevavit; Jàmque ex conſequenti opus erat, ſuprema manu providere de *Ministro Provinciali*, *Cuſtode* Provincie, ac duobus *Diffinitoribus*, prout & providit de jure ſibi competente Reverendiſſimus Pater Miniſter Generalis, ut videre eſt ex ſequentibus.

## QUÆSTIO SECUNDA.

*Sub cujus auſpiciis erecta eſt Cuſtodia in Provinciam?*

## §. UNICUS.

Remonſtrabit evidenter ſequens pagella, & in ea expoſitum Miniſtri Generalis Decretum.

*Frater Joannes à Soto Miniſter Generalis, Lector Jubilatus, Catholica Majeſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologus, Indiarum Commiſſarius, ac totius Ordinis Minorum S. Patris noſtri Franciſci Miniſter Generalis, & Servus. Reverendo Diffinitorio, reliquiſque Superioribus, & Subditis noſtræ Reformatæ Cuſtodie in Tranſylvania ſalutem, & Seraphicam benedictionem.*

**S**eraphicus Patriarcha S. P. N. *Franciſcus*, Sacram Religionem ſuam nonniſi ad majorem Dei Gloriam, ac uberiores bonorum operum fructus in Eccleſia Dei proferendos inſtituere conatus eſt, cujus Succellor non noſtris meritis nuperrimè electi, ad majus incrementum *Seraphici* iſtius Inſtituti promovendum, omni, quò poſſumus conatu, Nos eſſe obſtriçtos dignoſcimus, deſideratus autem ejuſmodi effectus potiſſimùm in Provinciis Ordinis noſtri Regulatis coram ſæculo eluceſcit. Ad hunc igitur ulteriorem effectum in noſtris Comitiiſ *Mediolani* à die 4. Junii 1729. Canonice, ac legitime celebratis, Reverendus Pater Frater *Alexius Csato*, Reformatæ noſtræ *Cuſtodie Tranſylvania Cuſtos* actualis efficaces rationes, ac ſufficientia motiva coram toto Venerabili Diffinitorio Generali proponere niſus eſt, dum præfatam hanc *Cuſtodiam*  
in for-

in formatam erigi postulasset *Provinciam*; productis itaque, & allegatis authenticis attestacionibus à Venerabili Discretorio ad causarum revisionem deputata matura consideratione discussis, cum juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones Generales cuncta requisita pro formali *Provincia* adesse dignoscantur; Eapropter supradictam *Custodiam* vigore hujus Decreti cum consensu totius Venerabilis Diffinitorii Generalis, ea authoritate, quâ ex concessione Apostolica fungimur, in formatam *Provinciam* erigimus, nominamus, & declaramus, illamque inter alias nostri Ordinis *Provincias* erectam, nominatam, declaratam, & quâ talem haberi volumus, & mandamus: Proinde superest, ut conformiter ad alias nostras *Provincias* ratione exigente, ejusmodi Neo-Erectæ, & declaratæ *Provincia*, de Patre *Ministro Provinciali*, *Custode*, & quatuor *Diffinitoribus* Paterna sollicitudine provideamus, prout, & hoc præsentem Decreto providere intendimus, nominantes, declarantes, & instituentes, ad Instantiam Patrum Diffinitorii dictæ *Custodiæ* nobis factam, de plenitudine authoritatis nostræ in Proto-*Ministrum Provinciale* Reverendum Patrem *Alexium Csató*, in Custodem Reverendum Patrem *Paulum Györffi* Custodiæ Patrem, Patribus Diffinitoribus actualibus, Patri *Joanni Acs*, & *Ladislao Bögözi* adjunctentes, & denominantes, Patres *Johannem Mártonfi*, & *Bonaventuram Zinder*, hos insimul quatuor legitimos hujus noviter declaratæ *Provincia* Diffinitores, atque hocce Diffinitorium à nobis virtute harum taliter institutum, per triennium duntaxat à data præsentium durare volumus, & mandamus, illæsam deinceps eligendi libertatem, Sacris Canonibus, nostrique Ordinis Constitutionibus stabilitam iis, quibus in Capitulis, & Congregationibus Provincialibus de Jure eligendi, & suffragandi potestas competit permittentes. Datum ex nostro Conventu S. Angeli Mediolani die vigesima Mensis Junii Annò Domini 1729.

Frater Joannes de Soto Minister Generalis.

Registrat.

L. ✠ S.

De mandato Reverendissimi in Christo Patris.

Fr. Hilarius Maria Banduri  
Secretarius Generalis Ordinis.

Concordat cum Originali ad verbum.

E 2

QUÆ

## QUÆSTIO TERTIA.

Quot, & quosnam habuerit Provincia à sui erectione usque in præsens  
Ministros Provinciales?

## §. UNICUS.

TRES tantùm numerat, quorum primus fuit Admodum Reverendus Pater *Alexius Csató*, autoritate Reverendissimi Patris Ministri Generalis in Capitulo Generali *Mediolani* habitò creatus Annò 1729. 4. Junii.

Secundus: (ex Canonicè electis itidem primus) Admodum Reverendus Pater *Paulus Györffi*, in primo, & satis celebri Capitulo Provinciali *Medyessni* in supresso Conventu *Beatæ Virginis*, sinè labe conceptæ Annò 1732. 29. Junii electus.

Tertius Admodum Reverendus Pater *Ladislaus Bögözi*, ex quinquenniali Ex-Diffinitore, & actuali *Guardiano Mikháziensi* Canonicè electus Annò 1735. 4. Julii.

Subsequentium nomina, prærogativas, ac merita, grata Posteritas studebit suis transmittere.

## QUÆSTIO QUARTA.

Num etiamnum impræsentiarum duret *Missio Apostolica*, &  
*Præfectura in Provincia?*

## §. UNICUS.

DUrat omninò, durabitque donec Schismata supererunt in Provincia; Quamquàm Divinà favente gratiâ, Patria isthæc, tam Admodum Reverendis Curatis, ac diverforum Ordinum eximiis Religiosis copiosè respectivè sit provisâ.

Averet forsitan quispiam nôsse, quo fructu, & emolumentò currat impræsentiarum etiam *Missio nostra Transylvanica*? Cucurrit certò semper, & etiam de præsentì currit non exiguo cum fructu, quamquàm in iis adnotandis, & Sacræ Congregationi suis temporibus repræsentandis, sæpiùs, si non negligentia, longæ tamen dilationes intervenère. Videatur partis secundæ, Quæstionis quartæ §. 13. Nos

Nos quoque libenter delituiffemus iisdem rationibus ducti, nisi auctoritate Majorum fuiffemus in publicum proracti; Res sic se habet: Anò 1734. 10. Aprilis, accepimus ipsi, qui hanc opellam contexuimus, Literas ab Illustriffimo Domino *Nuntio Viennensi*, in quibus indirecè vel nostra, vel Prædecessorum nostrorum ignavia castigatur, aut nos apud Sacram Sedem infimulantium invidia proditur.

Literæ Illustriffimi Nuntii sic sonant. Cùm Sacra Congregatio de Propaganda Fide Admodum Reverendam Paternitatem vestram deputaverit *Præfectum Missionum* sui Ordinis in *Transylvania*, ac earundem majori cum fructu prosequendarum causâ . . . . Ministerii mei partes implens Admodum Reverendæ Paternitati vestræ hisce committo, ut pro suo in Religionem Orthodoxam zelo me certiozem reddat: quomodo, quòve fructu Missiones per Religiosos suos, in *Transylvania* peragantur. Quibus adstimulatus tam Eidem, quàm Sacræ Congregationi exhibui conscientiosam, ac juramentò firmacam attestationem super fructibus, quos Divina gratia assistente Fratres nostri ab Anno 1732. usque ad præsentem 1734. in horrea Domini comportaverunt.

|                                                                                          |        |
|------------------------------------------------------------------------------------------|--------|
| Ex hæresi <i>Calviniana</i> conversi                                                     | 131.   |
| Ex <i>Lutherana</i>                                                                      | 95.    |
| Ex <i>Ariana</i>                                                                         | 23.    |
| Ex Græci Ritus Ecclesiæ, ut circumfertur, unicus facti Romano-Catholici.                 | 38.    |
| <i>Apostata</i> à Fide reducti.                                                          | 23.    |
| <i>Extrema Unctionis</i> Sacramenta administrata.                                        | 817.   |
| Sacramenta <i>Penitentiae</i> & <i>Viativi</i> ægrotis administrata.                     | 12040. |
| <i>Baptizati</i> ex Christianis Parentibus.                                              | 958.   |
| Sacra <i>Confessio</i> & <i>Communio</i> sanis, ut minimùm administrata.                 | 34246. |
| Conciones, & Catecheses extra Conventus vicatim plurimis in locis habitæ frequentissimè. |        |

Literas Illustriffimi Domini *Nuntii Viennensis* subsequente anno 1735. subsequebatur Eminentiffimi Domini *Vincentii Petra*, Sacræ Congregationis Cardinalium Præfecti, nomine dictæ Sacræ Congregationis sequentis tenoris Epistola.

E ;

Reve-

*Reverende Pater*

**S**ingulari quidem gaudiō excepit hæc Sacra Congregatio Literas Paternitatis tuæ, quibus eam de istis *Missionibus*, & *Gymnasio* Ordinis tui Patribus commissis, certiorē reddere non omisit, etenim tum de Scholasticæ Juventutis profectū, tum de utilitate, ac fructu earundem *Missionum* plenē contenta, Paternitatis tuæ, ac cæterorum Patrum operam meritis laudibus commendare non est dedignata. Nomine igitur ejusdem Sacræ Congregationis Paternitatem tuam de ipsius amore, ac voluntate nullatenus ambigere cupio, ac demum precibus tuis me enixè commendo.

Romæ 18. Martii 1735.

*Paternitatis Tue Studiosus*

Vincentius Cardinalis Petra Præfectus.

S U P E R S C R I P T I O.

Patri Paulo Györffi, Ord. Min. Reformatorem Ministro Provinciali, ac *Missionum Transylvania* Præfecto.

*Concordat ad verbum cum Originali in Archivo reposito.*



PARS

# P A R S Q U A R T A,

De numero Conventuum, Residentiarum, & Domiciliorum Provinciæ Transylvaniæ.

## Q U Æ S T I O U N I C A.

Quotnam Conventus habeat mentionata Provincia?

### §. I.

**D**E antiquioribus illis, quos actu non tenemus amplius meminisse quid juvat? Formatos ergo Conventus numerat sex: *Csik-Somlyóviensem, Mikháziensem, Cibiniensem, Esztelnekiensem, Vajda-Húnyadiensem, & Claudiopolitanum*. Conventus verò suppressos, nunc tantum Residentias itidem sex: *Szász-Medgyesiensem, Coronensem, Udvarhelyiensem, Szász-Városiensem, Szász-Sebesiensem, & Gyergyaiensem*. Residentias tres: *Deésiensem, Segesváriensem, & Alba-Carolinensem*. Quibus accensetur *Conservatorium Sororum Religiosarum Veteris Claudiopoleos*, legitima authoritate erectum, & Provinciæ incorporatum.

### §. II.

**P**rimus formatorum Conventuum Provinciæ est *Csik-Somlyóviensis*, Mater, & Seminarium *Provincia*, Titulò, & Patrociniò Beatæ Virginis *Visitantis* insignitus. Primitus à quonam erectus, aut fundatus fuerit, velut certum asserere non possumus. Rationabiliter itaque supponere possumus, quòd ex puris Eleëmofynis devotorum Fidelium acceperit fundamenta, cum incrementis; Qui tantam sui in antiquis rudibus cuidam solido lapidi Annorum incisione jaëtat antiquitatem, ut olim, etiam Ordinem nostrum ætate excessisse, non sine fundamento dixeris, siquidem in pariete Cellæ, quæ ab antiquo *Lábos-Ház* nominatur, hodie dum visitur quidam lapis in ambitelli (quò in domum Panificinæ itur) murò inclusus, qui etsi cum reliquo pariete sit dealbatus, proptimè tamen monstrat sibi supernè incisos duos magnos characteres C. C. & infra 1208. quos explicare, & dicere *Conventus Csikiensis*

*De primo actu*

*F/1240.*  
*ensis* significare, quid vetat? Cùm autem constet Religioni Seraphicæ S. P. N. *Franciscum* fundamenta jecisse Annò 1210. Religionem verò nostram primò invec̄tam fuisse in *Hungariam* Annò 1440. conjicimus prima fundamenta Conventûs hujus facta fuisse pro alicujus alterius antiquioris Religionis Alumnis, Quandonam verò, & qua occasione ad nos transferit, asserere non possumus.

Imminent huic Conventui supernè duo colles, alius aliò eminentior, uterque ab immemorabili *Somlyó* vocitati; Minoris quidem à quo *Salvator* nominatur, memoria designari non potest, putem ob devotissimum Sacellum in honorem Sanctissimi Salvatoris in eodem à fundamento, ex lapidibus opere Cementarii eleganter exstructum, magnâque in devotione à fidelibus Populis usque hodie habitum. Alius ille altior collis monstrat rudera fundamenta in culmine suo, cujusdam exigui, ac informis Castelli, qualia olim in multis *Transylvaniæ* collibus Gentilitas exædificare solita erat; Castrum hoc traditur antiquitus fuisse vocatum *Só-Vár*; putaverim igitur Gentem nostram à sua conversione ad Fidem Christianam, minorem collem *Somlyó* duplici de causa nominâsse *Salvator*, primâ: ob Sacellum Sanctissimi Salvatoris in eo exædificari excogitatum. Secundâ: in detestationem, & anathema perpetuæ oblivionis gentilis superstitionis, & Castri *Só-Vár*.

Placeat hic se reflectere benevolo Lectori ad ea, quæ de nomine Provinciae *Sanctissimi Salvatoris* quæstionis præliminaris numero 6. scriptimus, neque enim adeò deperimus proprios sensus, quin etiam sibi libenter relinquamus materiam exercendi acuminis.

Tandem non abs re dixerimus Conventum hunc fuisse primum in Provincia *Sanctissimi Salvatoris*, ex eo, quia antiquissimus, & sibi de proximo adhærens collis, ab immemorabili ætate vocitatur *Salvator*; Tum etiam, quia inter *Custodias* illius Provincia hæc deprehenditur fuisse amplior, & celebrior, & fortassis abscisso etiam hoc Conventu, cum *Custodia* à præfata Provincia, suum pro nunc Conventum *Gyöngyösiensem* Beatissimæ Virginis Mariæ, hanc ob causam, sub titulo *Visitantis* ut Matrem demeretur; Nec enim crediderimus duos Conventus in eadem Provincia necesse fuisse eodem vocabulò intitulare, siquidem quàm plurima sint mysteria Beatæ Virginis, ex quibus diversimodè intitulandi data fuisset occasio.

Conventus iste *Csik-Somlyóviensis*, vel veriùs dixerimus Beata Virgo, cujus

cujus honori dicata est Ecclesia, scire non possumus, quâ occultâ graciâ, adeo ab antiquo in sui venerationem pertraxerit animos, ut non solum ex vicinioribus *Transylvania* locis, sed etiam ex Principatu *Moldavia*, partibusque *Hungaria* copiosissima consueverit huc confluere plebis corona, signanter pro Sacratissima Pentecostes Dominica, quam devotionem, calamitosissimis quantumvis tempestatibus, usque impræsentiarum nunquam intermiserit; Tanta denique fuit, & est huc concurrentis Populi frequentia, cui hætenus in Regno parem videre non fuit, nec speramus videndam, nisi demeritis nostris, aut Populi, Divinâ providentiâ imminui contingat.

## M E M O R A B I L I A .

**I**N majori Ara hujus Conventûs exstat antiquissima Beatæ Virginis Statua, in brachio sinistro parvulum Jesum gestans, staturâ quemcunque (nisi monstrosè nimium giganteus quis sit) adæquans, estque omnino miraculis percelebris: Dolendum equidem est, quod defectu observationum, & adnotationum ferè nihil, aut pauca de miraculis prodita sciamus.

Fertur Conventum hunc, imò, & scriptis signatum habemus, aliquoties ab Infidelibus ad incitas redactum, sed auxiliante Deo toties restitutum; memorabilior est clades illa, quam Turca *Alli-Basa* intulit Anno 1661. 21. Octobris, in qua piæ memoriæ laudatissimus, juxtâque devotissimus Pater *Nicolaus Somlyai* Guardianus, in Sylvis penes vicum *Csomortán* à Barbaris peremptus; Pater *Petrus Pálfalvi* sub tecto Ecclesiæ exustus est; Frater *Josephus Szent-Imrei* Novitius penes *Fitód* in Sylvis, Frater *Joannes Kolosvári* Laicus Professor in Alpibus post *Szépharvas* capite mulctati, diem extremam clausurunt. Quatuor alii Fratres *Paulus Besséi*, *Elias N. Jacobus Græcus Clerici*, & Frater *Antonius Makai* Laicus, in captivitatem ducti, unde miserente Deo, brevi elapsi incolumes redierunt.

Post cladem hanc solitudine aliquot Guardianorum, & signanter Patris *Casimiri Domokos*, & Ecclesia & Conventus longè decentius, ac firmius restitutus est ex Fidelium piis largitionibus, quos inter amplio-rem tulerunt opem pientissimæ Viduæ Serenissima Principissa *Sophia Bátori*, & Illustrissima Comitissa *Maria Szécsi*, Relicta *Francisci Veszelenyi*

Palatini quondam Hungariæ, de quarum profusissima largitione videntur, cui licuerit, Patris *Joannis Kayoni* manuscripta in libro, qui *Niger* appellatur. Incurtio etiam *Tököllii*, non paucis stetit huic Conventui, imò toti tunc *Custodia*, de qua in specie ampliùs loqui desistimus.

Calamitates has excipiebat bina eruptio Tartarorum Annò 1694. Prima contigit 13. Mensis Februarii, quo die magnam partem Populi *Csikjensis* in captivitatem asseruit hostis Barbarus; Religiosorum enim nostrorum magna pars ipsâ, vel subsequenti die profugit ad *Három Szék*, duobus, tribusve tantùm Religiosis ad omnem fortunam pro custodia Conventûs remanentibus: Sed ecce abscedentibus Barbaris, dum se cuncti in securo positos existimant, decimâ quintâ ejusdem Mensis, & Anni translationi S. Antonii Padvani Sacrà, hostis iteratò majori in numero revertitur, & quamquàm latiùs, quàm antè excurreret; maximâque de Populo ageret prædam, Conventus tamen Religiosi, reliquusque eò confugiens promiscuus Vulgus, Deo, & Beata Virgine propitiis, nihil adversi incurrerunt.

Illud quoque memoriâ, ac etiam laude dignum existimamus fastis nostris inferere, quòd hac ipsa die Juvenis quidam Presbyter Theologiæ studens, natione Belga, Pater *Franciscus Nizet* ad avertendos à Conventu Barbaros excogitavit, & objecit: aderat enim adhuc conferta Juventus Scholaris cum promiscua Populi multitudine illuc confugiente; Ergo Pater *Franciscus* cunctis, tam Viris, quàm Mulieribus porrigi curat singulas oblongas perticas (quæ pro tunc pro suffulciendis Lupulis comportatæ fuerant) locò hastarum, in quibus majores nostri pugnare consueverant: Vittas candidas (quales muliebris sexus hic deportare consuevit) Mulieribus detrahi jubet, & pullis amiciri, aut quibus deessent nigra tegumenta, discoopertis etiam capitibus adesse jubet. Sic ergo dispositos educit è Monasterii sæptis in planum conspicabilem, & aliquantè à reliquo circum spacio acclivem, ibique disponit in ordinem (viderat enim pro priori in statu Sæculari qualiter acies ordinentur, saltè in exercitio) primi erant Studiosi cum quatuor, vel quinque vexillis, & tympanis; ludebant quidem subinde constrependo alii etiam, sed plurimùm dabatur soli Illustrissimo Domino Comiti *Adamo Kálnoki*, qui more militari Germanicò optimè noverat tympana pulsare; Visò hoc spectaculò, & acie facta, ac facta (non tamen deerant in turba equites, peditesque tam animò, quàm armis parati, et si pauci respectivè)

divè ) hostis declinavit Claustrum , & in *Csik* inferiori cursim valde aliquam exiguam prædam faciens , ocyùs redire adproperavit.

Claudemus Memorabilia hujus Conventûs pro Posteritatis informatione, Columnâ opere Cementarii non adeò ineleganter in angulo intermeridionali, & occidentali exterioris ambitûs erectâ. Priusquàm verò ad relationis meritum veniamus, benevolum Lectorem reflexum cupimus, ad celeberrimum concursum Populi pro Dominica Pentecostes, quæ sive ex curiositate, seu aliò quocunque motivò immiscere se solent etiam hæretici proximarum partium, & rarò quin plures illa ipsa occasione oculis expositam cernentes devotionem non convertantur. Scriptotenus nobis traditum non venditamus, audivimus tamen nos ipsi ab antiquioribus, & integræ vitæ Religiosis nostris, ( qui & ipsi pari traditione ab aliis acceperunt ) quòd in supradictò exterioris ambitûs angulo fuerit fixa Crux lignea satis præalta, quæ in Sanctissimæ Dominicæ *Pentecostes* Solemnitate, coram maxima Populi frequentia, ad elevationem Sacratissimarum specierum Altaris, binis vicibus sese profundissimè inclinaverit; Hinc igitur devotissimus Pater *Nicolaus Somlyai* Guardianus Conventûs, illam columnam opere Cementarii superindui curavit, & desuper honestè tegi, ne Populi illuc recurrentis simplici devotione per particulas abrasa periret. Nostrò ævò quidam ex Superioribus ( celamus nomen ) partem illam Crucis, quæ ex columna eminebat, excindi curavit, & supernè in locum ipsius unam Christi Crucifixi, sed planè deformem, & nullius proportionis statuam apponi curavit, abscissa tamen dictæ Crucis pars in Ecclesia, aut Conventûs tecto reposita fuit, prout nobis relatam fuit. Mereretur certò, ut requisita aliquo decenti, ac Sacratiori loco reponeretur.

Hæc de isto Conventu, & memorabilibus dicta sufficiant, reliquorum Conventuum, Residentiarum, & Domiciliorum Religiosorum descriptionem, brevi tantùm calamò prosequemur.

### §. III.

Secundus est *Mikbázienfis*, à Pago *Mikbáza*, ubi ædificatus est, sic dictus, cujus fundamenta à quo jacta sint Annò 1635. sub titulo S. Regis Stephani, videri poterit in authenticis Provinciæ Monumentis. Situs ejus, undecunque consideres, supra collem est residentissimus. Latus

Pagi occidentale graciosô susurrô præterfluit lympidissimus amnis *Nyárad*, diversis, ac optimis piscibus magno nostri cum emolumento copiosissimus. Latus Conventûs intra Orientale, & Meridionale alluit rivulus non spernendus, *Peres* nominatus, diversis pariter, gratiosissimisque piscibus, præsertim saxatilibus, & cancris refertus.

#### §. I V.

**T**ertius Conventus est Magno-*Cibiniensis* Titulô S. Patris Nostri *Francisci* insignitus, nostris legitimè collatus Annô 1716. ab Excellentissimo, ac Illustrissimo Domino Comite, Domino *Stephano Steinville* Commendante Generali *Transylvania*; Collationis Instrumentalis Originale habetur in Archivo Inclyti Magistratûs *Cibiniensis*: Extraditum etiam nostris fuit ejusmodi literale Instrumentum, quod quorsum, & ad quem devenerit, usque ad præsens deprehendi non potest, habemus tamen illius simplicem latini idiomatis Copiam.

Si casu quo olim hujus Civitatis Magistratus aliquid intentaret ad nos perturbandos, imò exturbandos, eò quòd in transactione positas aliquas condiciones (quas pro non adjectis habemus) non servaverimus, monstramus futuræ posteritati, ubi sese inveniat, & quomodo tueatur, nimirum §. 3. Protocoli Provincialis Tomo 1. in descriptione Conventûs *Cibiniensis* ab istis verbis: *consensit Venerabile Diffinitorium* usque ad *Memorabilia*.

Conventus iste, de quo agimus olim fuit Monialium, & probabilius Ordinis Nostri, quod conjicimus hinc, quia proximè nostrum grande, & antiquissimum Monasterium fuerit positus, quem nunc Moniales *Ursulina* ab uno, alteròve Anno infederunt; quémque (nisi sua Majestas, ut Rex Apostolicus ipsis contulit) illegitimè, & nulliter tenent, cum res omnes usui Fratrum Minorum concessæ, præcipuè Ecclesiæ, sint juris, proprietatis, & Domini Summorum Pontificum.

#### §. V.

**C**onventus quartus est *Esztelnekiensis*, sic dictus à Pago *Esztelnek*, in cujus extremis intra-Occidentalibus, & Orientalibus est ædificatus

tus sub Titulo, & Patrocinio S. *Georgii* Martyris, originem suam refert ad Annum circiter 1684. Propriè dictum habet Fundatorem neminem, non tamen omninò prætercurrenda est memoria in rei veritate pientissimi quondam Admodum Reverendi Domini *Moyfis Nagy*, qui nobis hic loci, Religiosis candidissimi Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, *Illye-falva*, & Religiosis Fratrum Minorum Conventualium (nô fallimur, & ideo absolute non asserimus) *Kanta* primos passus aperuit; Hic Apostolicæ paupertatis, & signanter S. Pauli Apostoli insignis Æmulator, quidquid laboribus, ac industriâ suâ acquirebat, paucis admodum pro sui vera necessitate retentis in pauperes Studiosos, Religiosos, ac etiam triviales, & in hos non tantum, qui ad se stipis petendæ gratiâ accederent, sed etiam in illos, quos ipse de industria ad se accerferet, distribuebat; Panneò nunquam usus amictu, exceptâ contra hyemis injurias pullâ, & rudi clamide. Cæterum ejus toga talaris erat ex simplici, & grassa tela denigrata: laudabili exemplo remonstrans in se illud Apostoli: *habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus* 1. Timoth. 6. v. 8.

## §. V I.

Conventus *Vajda-Hunyadiensis* quintus, olim à Principe *Joanne Hunyadi* eleganter, Regiâque planè munificentiam inchoatus pro Eremitis S. *Augustini*; sed à Rege *Matthia* absolutus, & à *Paulo Secundo* Summo Pontifice ad instantiam modò dicti Regis, datus fuit nostris, Provinciæ *Sanctissimi Salvatoris*. Postquam verò totum Monasterium, unâ cum Ecclesia (exceptâ solùm præaltâ, & firmissimâ Turri) injuriâ hæreseon eversum, plurimos per Annos in suis ruinis sepultum genuisset, ab Excellentissimo Domino Comite, Domino *Stephano Steinville* Comendante Generali *Transylvania* restitutum est nostris Annò 1710. voluntatem ejus exequente, terminosque possessionis ponente in facie loci Illustrissimo pariter Domino Barone *Stephano Tige* sui Regiminis pro tunc supremo Colonello.

## §. V I I.

Extus est veteris *Claudiopoleos* sub Titulo Beatæ Virginis ad *Nives*, qui ab ævo fuit ædificatus pro Religiosa Familia S. Patris *Dominici*, quæ postquam

postquam ex illo injuriâ temporum excisa fuerat, plurimis Annis fuit in profano usu heterodoxorum, ac circa finem præteriti sæculi ad instantiam Inelyti *Status Catholici*, à pietissimæ memoriæ *Leopoldo* Primo Romanorum Imperatore, & Rege Hungariæ restitutus est Catholicis, sub cura Admodum Reverendorum Patrum Societatis Jesu, qui postquam multis impendiis in platea *Tbordensi* magnificentissimam Basilicam, eidemque immediatè adjacentem Collegium, Seminarium, & Aulam Academicam extruxissent, dictus Inelytus *Status Catholicus* eodem, quò possidebat jure, accedente etiam Illustrissimi Domini *Joannis Antalffi* Ordinarii auctoritate, Nostis est extraditus Annò 1725. 13. Mensis Junii *S. Antonio* Sacrà.

Noster antiquus Conventus pariter sub Patrocinio B. Virginis (sub quo mysterio, Nos adhuc usque nunc latet) in Platea *Lupi* ad angulum Civitatis hyberno orientalem extructus, fundatusque fuit à Rege *Hungaria Matthia*, cujus rei testimonium authenticum dicti Regis manu propria, ac usualis Sigilli appensione firmatum existat in Archivo B. Virginis Mariæ de *Colos-Monostira*, authentica autem ejusdem Copia in nostro Provinciali.

### §. VIII.

#### CONVENTUS SUPRESSI.

**P**rimus Conventuum Supressorum est Vallis *Gyergyó*, in extremitate Pagi *Szár-hegy* ad plagam septentrionalem in latere collis *Sármány*, qui locus nostræ olim *Custodiæ* cum fundis sufficientibus, ac quinque saccapacibus ex muro in modum crucis exædificatis Sacellis, quarum hodie tantum tres exstant, nam duæ aliæ operâ, ac industriâ nostrâ versæ sunt in Ecclesiam, cum eleganti Turri, fuit concessus, & donatus circa Annum Domini 1665. à Spectabili, ac Magnifico Domino *Stephano Lázár*, Sedium Sicalialium *Csik, Gyergyó, & Káfszon* supremo Judice Regio.

### §. IX.

**S**ecundus *Udvarhelyiensis* in oppido *Udvarhely* circa initium hujus sæculi Annò 1706. à nostris inaccessus, & extrui cœptus sub Patrocinio  
SS.

SS. Apostolorum *Petri, & Pauli*: Primis pedibus spatia fecit Admodum Reverendus Dominus *Stephanus Lakatos*, supremus Archi-Diaconus Sedium Siculicalium *Csik, Gyergyó, & Kászon*, jamque accessu circumcirca diverforum Fundorum sat copiosè est dilatatus, situ gaudet in toto Oppido peramcendò. Quinque, vel sex ad summum ab hinc retro annis, multâ industriâ, ac impensis exædificavimus hic loci Ecclesiam grandem, ac elegantissimam ex puris Fidelium Eleëmofynis. In proximè adjacente ruinato Castro habuimus olim grandem Ecclesiam, & Conventum per omnia paratum, ex quo fuimus deturbati à Principe *Johanne Zápoli* juniore.

## §. X.

Tertius est *Medgyesiensis* à libera Regiâque Civitate Saxonicali sic dictus, olim etiam titulò, & Patrocinio B. Virginis fuit insignitus, quia Nostris, Annis ab hinc prope centum, & nonaginta fuit inhabitatus, sed injuriâ Lutheranae factionis exinde fuimus exturbati, ubi verò aura melior cœpit spirare, Religionique Catholicæ propagandæ passus aperiri, Annò 1721. 15. Novembris, antiquis Possessoribus restitutus est ad interpositionem Excellentissimi, ac Illustrissimi Domini S. R. I. Comitis *Hugonis Damiani* à *Virmond* Commendantis Generalis *Transylvaniae*, nostri Ordinis rarò exemplò valde amantissimi. Locum quod attinget, est saluberrimus, & ultra fidem amœnus. Plura qui volet de hoc inveniet tam in libro hujus Conventûs, quàm in Protocolo Provinciali.

## §. X I.

Quartus est *Coronensis*, in Platea S. *Joannis*, unde ansam sumentes, Ecclesiam ibi recentissimè restauratam titulò S. *Joannis Baptiste* placuit insignire. Olim fuit Sanctimonialium, excisis autem istis, plurimorum annorum decursu fuit in usu Sectariorum Lutheranae Religionis, ex post autem circiter annum hujus Sæculi 1723. extraditus fuit legitimè Romano-Catholicis sub cura Admodum Reverendorum Patrum Societatis Jesu, qui quidem aliquamdiu in usu Sacro habuerunt, sed Tempelli, ac etiam spatii angustia, vel quibuscunque aliis ex motivis loci pertæsi, tamdiu egerunt per Generalem Commendantem apud Magistra-

stratum, quòd pergrandem Ecclesiam honori SS. *Petri, & Pauli* Apostolorum dicatam unà cum grandi Monasterio adjacente sibi vendicaverunt. Iste olim fuit ædificatus pro Familia *Ordinis Predicatorum*, dehinc, quando, & qua de causa nescimus, venit in possessionem Fratrum *Minorum Conventualium*, ultimam ad Nos Fratres *Minores* Provinciae *Hungariae Sanctissimi Salvatoris*. Ita habent *Annales Societatis Jesu*, ex quibus communicatum habemus ab Admodum Reverendo Patre *Francisco Partinger*, hujus Residentiae olim Superiore. Ecclesiola S. *Joannis* ad cultum Catholicorum reconciliata, cum exiguis rudibus antiquorum Domiciliorum, & spatio, mansit juris Catholicorum, postquam etiam eximii Societatis Jesu Religiosi inde transferunt, quæ post multas instantias à nobis depositas, Annò 1724. 22. Mensis *Maji*, Nobis personaliter præsentibus, & nomine pro tunc totius *Custodia* acceptantibus, Excellentissimus, ac Illustrissimus Dominus S. R. I. Comes *Josephus Lotharius de, & à Kinigsegg* Commendans Generalis *Transylvaniae* &c. possidenda, & *Custodia* incorporanda tradidit.

## §. XII.

Quintus *Szász-Városiensis* ab Oppido *Szász-Város* sic nominatus, ubi etiam olim extitit prægrandis Ecclesia cum Monasterio, ædificata sumptibus pièntissimæ Reginae *Hungariae Elisabethæ*, de qua vide supra. Præsentis autem sæculi 1730. postliminio ad interpositionem Excellentissimi, ac Illustrissimi Domini S. R. I. Comitis *Francisci, Pauli à Vallis* Commendantis Generalis *Transylvaniae*, Admodum Reverendo Patri *Alexio Csató* Ministro Provinciali, ac in ejus Persona *Provinciae* ritè possidendum restitui curavit, in præsentia plurium magnæ auctoritatis hominum.

## §. XIII.

Sextus est *Szász-Sebesiensis*, in angulo Civitatis æstivo Orientali cum satis amplo quidem pro nunc spatio, non tamen totò, cujus aliquas partes insident, adhuc quidam Civium; quem ad industriam mox dicti Admodum Reverendi Patris *Alexii Csató* idem ipse Excellentissimus, ac Illustrissimus Dominus S. R. I. Comes à *Vallis* Nobis restitui curavit, Annò

